

Sum ex Libris

Sum ex Libris.

Joannis Baptistæ
Hees Presbyteri

1763



ANNU

EXEM

GEST

ADO

EX

*In singulis
Stuciose*

[Handwritten]

COLON
Sumptibus PE
inter

ANNUS SANCTUS
SIVE
EXEMPLA BREVIA
E
GESTIS ET VITIS
ADOLESCEN-
TUM
EXCERPTA.

*In singulos Anni dies digesta,
Studiosæ Juventuti proposita.*



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus PETRI PUTZ, Bibliop.
unter der fetten Hennen.

Anno 1727.

BIBLIOTHEK
MUSSELBORG

Syst. Th. B. 643 : 112

Ad Lectorem.

Tuo bono, Studiose Adolefcens, con-
fectus est libellus præfens. Annus
Sanctus dicitur; tum exemplo ab aliis Au-
thoribus petito, tum quod observata tot
virtutum exempla convenientem Stu-
diofo sanctitatem certò sint allatura. Ex-
empla è folis Adolefcentum vitis decer-
pta sunt, ut eò facilius ad premenda co-
rum vestigia animeris. In dies singulos
digesta sunt, ut habeas indies, quod legas
& imiteris. Levia hinc inde occurrent;
sed cave idcirco contempnas. Levi etiam
in re semetipsum vincere Deo gratissi-
mum est. Inspice, & fac secundum ex-
emplar; Potuerunt isti & isti: cur non &
tu? Interferuntur hinc inde historiæ ali-
quot tragicæ, ut salubrem in te terrorem
excitent. Fidem habeant illam, quam
apud Authores citatos. Omnia juxta De-
cretum Urbani VIII. 5. Jan. 1631. Vale.
Ad salutem tuam utere.

88.9. 193

Anni

1372 512 01

Anni San
Documenta
è variis
S
Anches
caus, qu
diens
Et omni habe per
quomodolibet C
petens: Malo m
in sub anni in
Puritas amoren
rorum concipere
genina: Malo m
, Justus Lip
fabit: A peam
amorem & cultum
mibi & docem in
fu elegi: etiam
noctes erat,



Anni Sancti Mensis primus

sive

Documenta pro Juventute studiosâ
è variis Historiis excerpta.

Januarius.

1. **S**ANCTUS Casimirus Poloniæ Princeps tantum ab omni immunditiâ abhorruit, ut aut moriendum sibi esse audiens, aut eligendas nuptias, Castus & omni labe purus mori maluerit, quàm læsâ quomodolibet Castitate vivere; illud sæpius repetens: Malo mori, quàm fœdari. *Ex vitâ.* Prima sub anni initium cura tibi sit generosum Puritatis amorem, voluptatis verò illicitæ horrorem concipere. Hoc sæpe exclama, hoc ingemina: Malo mori, quàm fœdari.

2. Justus Lipsius Vir celeberrimus sic de se scribit: A primâ adolescentiâ Divæ Virginis amorem & cultum indui, eamque Patronam mihi & ducem in periculis, & omni vitæ cursu elegi; etiam in studiis, ubi famæ vel memoriæ res erat, precibus & votis ad eam ivi.

A 2

foliâ

felici semper successu. *Sodal. Parth.* Imitare ; Altera tibi cura sit filialis erga B. Virginem amor & fiducia : hanc in Patronam Studiorum elige : ad eam in quâvis necessitate confuge.

3. Godefridus Adolefcens Castiffimus, poſtea Herbipoli & Bambergæ Epifcopus, pernottare in alienâ domo, ad quam cum Moderatore venerat, coactus; cum precibus & promiffis ad impurum facinus ſolicitaretur, poſt virilem planè luctam, relictis in impiæ manu veſtibus, puriffimus Joſeph vi ſibi viam faciens auſugit : noctem reliquam in gratiarum actione & precibus conſumens. *Drexelius.* En tertiam ſtudioſi curam: Caſtitem iſta reſpiciat. Pupilla oculi Mariani Caſtitem eſt; hanc noli lædere: Ne lædas, fuge viſitationes, & domos ſuſpectas: fuge ſocios, ſermones, conventicula.

4. Michaël Aijatumus Adolefcens Indus ſæpe ſic ſuos Condifcipulos allocutus eſſe legitur: O Socii mei, quantam Deo rationem dabimus, ſi ſtudiis & pietati in tam bonâ occaſione non vacemus! *Sodal. Part.* Studioſe, hujus & tu recordare. Terribilis tibi reddenda eſt ratio, ſi in ſtudiis & pietate tepeas. Occaſiones tot præclariffimæ, tot ſuperiorum monita, tot exhortationes augebunt damnationem tuam, ſi ſecus, atque oportet, iis utaris. Ergo novum fervorem concipe. Statue toto animo incumbere in ea, quæ Deus ratione officii tui à te poſtulat.

5. Adolescens quidam certo alicui flagitio
 affluetis hoc à S. Bernardo accepit remedium.
 Primo ut per tres dies à familiari scelere ab-
 stineret in honorem Ss. Trinitatis : abstinuit.
 Secundò, ut per totidem dies, in honorem B.
 Virginis ab eo caveret : cavit denuò : Et ag-
 noscens posse extirpari consuetudinem ; Non
 jam ultra, ajebat, cum Deo inducias tantum ,
 sed æternam pacem inibo. Nunquam pecca-
 tum illud repetam ; Stetitque suo hoc propo-
 sito. *Ex vita.* Ecce emendari potest consue-
 tudo , licet radices egerit altissimas. Adhibe
 remedium hoc. Amore B. Virginis , amore
 hujus aut illius Sancti Patroni statue abstinere
 à peccato certo , saltem die uno : die altero
 alium tibi Patronum propone. Miserum te,
 & damnationi proximum , si sancti unius amo-
 re ne uno quidem die abstinere à peccato va-
 leas.

6. B. Stanislaus S. J. quoad vixit , semper
 manè ut primum surgebat, ad B. Virginis ef-
 figiem conversus, benedictionem ab eâ flagi-
 tabat, decenter vestitus preces matutinas accu-
 ratissimè persolvit. *Ex vita.* Prima tua cogita-
 tio manè ad Deum dirigatur : preces matutinz
 negligantur nunquam : Beatam Virginem in-
 dies invoca. Hæc si negligis, frustra benedicti-
 onem de cœlo expectas.

*Adolescens Sodalis Religionem ingressurus Pa-
 triam domum inviserat , suis ut vale supremum
 diceret : lautum instruitur à parentibus epulum :*

Editur, potatur liberalius: Sermones non usque adeo
 honesti miscentur. Soluta epulo adolescens noster
 vino & epulis nonnihil gravior, ac Sodalem dece-
 bat, lectum petis; Illico, quod quia & excessuum
 in potu primum est, turpes in animo cogitationes
 oriri, crescere, inquietare miserum. Restitit pri-
 mo: Sed tandem victus cogitationi illicita consensit.
 O infelix momentum! Adest confestim vindex Dei
 Justitia, & eam adhuc horam apoplexiâ vehemensi
 tactum deturbat ad tartara. Totam rem, ut gesta
 erat, ipse infelicissimus suo apparens Confessario fle-
 bili voce aperuit. Ottonelli. Non exhorrescis has
 legens? magis exhorresces, hoc scilicet audias: Erat Ado-
 lescens hic usque ad horam illam innocentissimus,
 nullâ unquam graviore noxâ Deum offenderat.
 Erat ergo peccatum hoc primum. & solâ tantum
 cogitatione admissum. In primo hoc peccato moritur,
 iustoque Dei iudicio damnatur, pro modica voluptate
 aeternum torquendus. ¶ Studiose, ferreus es si non
 moveris. Peccatum unicum; aeterna damnatio:
 Voluptas momentanea; cruciatus aeterni: O pecca-
 tum quid es? Hoc hoc studiose, hoc expavesce, hoc
 fuge, hoc detestare.

7. Anonymus Adolescens, postea in Reli-
 gione Richardus dictus, cubitum jam iverat;
 cum ecce recordatus vespertinas preces, &
 consuetum B. Virginis pensum necdum à se
 persolutum esse; vincit tadium, lecto se pro-
 ripit, preces peragit. Fructus erat evitata dam-
 natio. Vix enim lecto se rursus commiserat,
 è damnato suo ante socio intelligit certam ei
 damna-

damnationem fuisse, nisi has persolvisset preces; quibus mota B. Virgo inducias ad agendam pœnitentiam impetrasset. *Pexensfelder.* Ecce è vespertinis precibus salus æterna pende-
bat. Amas salutem tuam? ama preces vesper-
tinas, cum examine & dolore serio. Forte
dum primò negliges, morieris infelix & peri-
bis. Somnus prohibet, inquires? æternos ig-
nes cogita; hi somnum ad breve tempus ex-
cutient.

8. B. Aloysius S. J. levissima peccata tanto
doloris sensu in confessione exposuit, ut animo
deficiens hūmi procumberet. *Ex vita.* Tan-
tum à te quidem non petitur; id tamen agē-
dum est, ut sollicitam semper Confessione præ-
parationem præmittas. Doloris serio eliciendi
curam habe maximam. Res non aded facilis
est, ut plerique malè somniant.

9. B. Aloysius per triduum se ad S. Com-
munionem præparabat; hinc & fructum con-
secutus longè maximum. Joannes Berchman-
nus in Brabantia natus rarissimæ virtutis Ado-
lescens post Christi Eucharistici susceptionem
tres horas integras, aut duas certè impendit.
Ex vita. Erubescere, si ex eorum numero es,
qui vix quadrantem tanto impendunt negotio,
dum horas plurimas otio, somno, lusui, gar-
gylitati, Dæmoni consecrant. Tu mediam sal-
tem horam præparationi, mediam dabis gra-
tiarum actioni. Meretur id JESUS tuus re-
demptor pariter & iudex.

10. S. Viuentius Ferrerius totus à puero in mores sanctos incubuit. Non poterat id ferre Dæmon, primitias ætatis sibi exoscens. Ergo venerandi cuiusdam senis habitum mentiens Vincentio oranti se ficit, inquiens: Ego unus è priscis illis Patribus sum, qui Ægypti solitudinem diu magnâ vitæ austeritate incolui: iuventutem ad mundi leges inter delicias & voluptates exegi: hinc senectutis vera & constans pœnitentia est secuta. Tu igitur mihi seni tutò crede, & præmaturam, quam orsus es, corporis castigationem senio reserva. Paratam habemus Dei clementiam vel ad unicam contriti cordis voculam. Vincentius fraudes Stygias subodoratus facessere iubet dæmonem, majore deinceps fervore Pietatem & mortificationem amplectens. *Ex vita.* Imitare. Obstrue aures tuas ad voces illas: genio jam litandum est: Sera ætas in Religione Deo dabitur & Pietati. A Dæmone sunt voces istæ. *Ætas prima Deo debetur, non dæmoni; quia optimum optimo, primum debetur primo.* Errâsti hæctenus? hoc saltem age: ex hâc horâ totum te Deo consecra: annos quos adhuc habes floridos cultui divino defer. Primitias Deo.

11. B. Stanislaus S. J. quæ in singulis notavit laude digna, statuit æmulari: Idem Berchmannus fecit, cujus hoc erat propositum: Quod mihi in aliis placet, imitabor, quod displicet, fugiam. *Ex vita.* Tuum est, Sodalis
Stu-

Studiose, ea, quæ indies leges ab aliis benefacta, sedulo quoad fieri potest, imitari. O quem tibi in cælo Theaurum hâc ratione colliges, labore tuo certè non magno.

12. S. Basilius Magnus adhuc adolescens quæsitus, quænam studiosis maximè convenirent, reposuit: Colere Deum, servare munditiem, fugere Societates suspectas, studere veritatis, fugere fœminas. Singula ipse suo etiam exemplo comprobavit. *Ex vita.* Habes brevem epitomen vitæ sanctæ à studioso agenda. Singula considera. Vide in quo hætenus industriam tuam deesse sis passus. Statue posthac toto animo in ea incumbere. Sic Deo, sic conscientia facies fatis.

Adolescens Cantipratani condiscipulus, modestiâ primum & pudore insignis, pessimo postea socii exemplo in horrenda scelera se dedit precipitem. Frustra amicorum monita, frustra mina erant. Exegerat de more diem quendam cum sociis lusus inter & epulas. Nocte concubiâ horrendum ex improvise vociferari & ejulare incipit. Accurrunt domestici; clamoris causam petunt; praesens vita periculum advertunt, monent ut conscientiam expiet, ad aternitatem se accingat. Nihil proficiunt. Surdus ad monita juvenis demum in has voces erumpit: Va illi, qui hoc (peccatum lascivia nominat) me docuit! va illi! ah! quid nunc auxilium divinum invocabo? jam patula video tartara praesentes demones toris ad me rapiendum faucibus hiantes: Actum

est. Hos inter gemitus obiit aeternum infelix:
 Pexent, didicit miserrimus juvenis, quis sit pra-
 vi consortii fructus, quis scelerum finis. Fortè
 & tu aliquando sic exclamabis: va! va illi!
 sed quid tunc proderit? Morietur quidem & peri-
 bit Seductor tuus, sed tu si & ipse pereas, solatium
 ex aliena miseria non capies. Jam cognosce,
 quam maledicta sit amicitia illa, qua Deo inimica
 est & virtuti, fuge socios, fuge scelera, ne cum Ju-
 vene hoc referata videas aliquando Tartara, sed
 cum B. Stephano caelos apertos.

13. S. Fulgentius considerans in juventute
 hinc Dei hinc Mundi promissa sic secum: Cur
 sine spe futurorum bonorum laboramus in hoc
 saeculo? quid aliquando praestare mundus po-
 terit. *Specul. Juvent.* Quid praestare mundus
 poterit tibi si Deo relicto ei adhæreas? quid ex-
 pectas? Adhæres mundo per desidiam, per
 otium, per delicias illicitas. Deum relinquis,
 si orationes, si Sacramenta, si lectiones sacras,
 si studia relinquis. Quid ages posthac? Si plus
 auxilii expectare à mundo potes, adhære ei,
 famulare, obedi, quoad voles.

14. Annux Quitenses referunt de Juvene
 Lascivo. Hic ut Sceleri vacaret liberius, urbe
 desertâ in prædio vicino multos annos impiissi-
 mè exigit. Somniabat nocte quadam se re-
 pentinâ morte è vitâ abreptum, territus pri-
 mum est, sed mox velut inane somnium hanc
 Dei monitionem excussit. Magis terruit nox
 altera quâ ad infelicis Aeternitatis tormenta de-
 jectus

jectus sibi videbatur, sed etiamnum restitit impius vocanti Deo. Rus petierat animi levandæ causâ. Adest hæc suggesta divinitus cogitatio: Certe potest ire jacto è cælis fulmine hoc momento & loco plectere divina Nemesis, & à scelerum consortio avulsum, ad rogos infernales dejicere. Hæc cogitantem orta repente tempestas terrificæ, & vibratum horrendo fragore fulmen in proximam agri partem decidens, adeo conterritum, ut demum meliora statuerit. Adorans igitur mirabilem Dei tam diu se contemni patientis tolerantiam, rediit in urbem, Confessione generali peccata priora expiat, vitam vivere incipit, qualem à sancto pœnitente poteras expectare. *Ex Ann. S. 7.* Pœnitentem attende & imitare. An minor est Dei erga te Patientia? quamdiu jam tolerat scelera tua? quot inspirationes immittit? quot minas? cede tandem & da hoc divinæ misericordiæ, ut de tuâ possit pertinacia triumphare. Vitam age aliam: Deo gratias age, quod puniens alios tibi pepercerit. Multi damnati sunt, qui minus peccarunt, ac tu, ajebat B. Virgo conversæ cuidam.

15. S. Joannes Calybita Abbatem, à quo suscipi rogabat, sic allocutus est: Parentes me destinant honoribus & conjugio: ego vero eum salvum puto, qui his valedicere potest, & Deo in vestro habitu deservire. *Ex vita.* Non omnes capiunt verbum hoc. Tu hoc saltem discere, salutem solam spectandam esse in omnibus,

bus, non commoditatem corporis non libertatem, non ipsam etiam parentum voluntatem, si Deo & vocationi contraria est.

16. Anonymus Sodalitatis Cæsaris Augustæ alapa per injuriam accepta non nihil commotus ubi se collegit, aiebat: Inter Sodales Marianos numeror, unde & hanc injuriam & alia ferenda judico. *Ann. S. 7.* Ecce quid possit memoria Mariani Sodalitii. Erit forte occasio ferendi injuriam levem; erit occasio faciendi peccatum aliquod per otium, desidiam &c. Cogita. Sodalitatis Marianus sum: feram hoc amore Virginis: fugiam hoc amore Virginis. Studiose mi, hæc solida & genuina erga Mariam devotio est; huic stude; nihil Mariæ gratius, nihil tibi poterit esse salubrius.

17. Dositheus tribuni Militum Filius in deliciis & rerum sacrarum ignorantia educatus loca Sacra Palæstinæ invisebat: videns depictos ad parietem in horto Gethsemani inferos hæret attonitus. Rei ignarus à B. Virgine apparente terribiles inferorum pœnas edocetur. Majore percussus horrore; Domina, aiebat, quid obsecro mihi faciendum est, hos ut cruciatus evadam? præscripsit B. Virgo remedia, & evanuit. *Ex vita PP.* Sit hæc & quæstio tua, sit cogitatio; Sive dum picturam ejusmodi intueris, sive dum inferni occurrit memoria, sit sollicitudo una, evadere infernum. Sed media, quæ suggeruntur amplectere. Perisset Dositheus, si præscriptis à B. Virgine mediis usus

usus non fuisset. Certus est tibi interitus, tu si iis non utaris. Quæ vero illa? declina à malo, ait Spiritus sanctus, & fac bonum.

18. S. Bernardinus Senensis nunquam turpe verbulum vel locutus est ipse, vel audiit, quod non severissimè castigaverit. Hinc Socii ejus si paulò liberiùs locuti fuerant, adveniente Bernardino Sermonem mox abrumpebant dicentes: Tacete, Bernardinus adest. *Ex vita.* Si scires, quanta strages animabus innumeris verbo etiam unico impuro inferri possit, corpore toto & animo contremisceres. Actum est de Castitate, ubi verba talia vel amantur, & proferuntur, vel dicuntur liberiùs, Atque utinam rei hujus veritatem tristis nimium experientia non doceret. Fuge, aut apertè aliorum libertatem increpa. Nemo te præsentè proferre audeat, quod conscientiam lædere possit.

Monasterij erat adolescens, qui à familiari nimium juventuti scelere ad ipsam hæresin delapsus fuerat. Sensit monentem interiùs Deum; Scelus à se factum agnovit, emendationem promisit: ut vero hanc ocysus inchoaret, moveri non potuit. Monetur à suo quondam Professore Sacerdote; jubetur festinare, ne tardantem justus iudex pro merito castigaret. Sed unum ille cras, cras repetebat. Ergo qui pœnitenti veniam quidem, sed diem crastinum non promisit Deus, procrastinantem sui maxime securum puniturus, disposuit; ut impius fallente vestigio è superiore

Horrei parte in subjectam arcam delapsus, mox
 infelici morte ad aternitatem abriperetur. Ex
 ann. S. J. O cras! cras! fatale cras! quis in-
 ter inferos damnatus non funestum hoc cras dam-
 nationis sua causam ingeminat? de die in diem,
 de mense in mensem differre emendationem, O
 quale periculum? non irridetur DEUS. Propera!
 festina! convertere! hodie noli obdurare cor
 tuum. Nunc incipe. Nunc dies salutus. Cras
 incertum est. Voces Dei sunt; Ne differas de
 die in diem, subito enim veniet ira illius, & in
 tempore vindicta disperdet te.

19. Complutensis quidam Sodalis die quo-
 dam graviter vulneratus dum Chirurgus voca-
 tur, oblitus propè doloris sui petit libellum,
 è quo officium B. Virginis recitare solebat,
 sanctè affirmans, nunquam id à se omissum
 fuisse hactenus, qua propter nolle se è vita hâc
 migrare in aliam die illo, quo beatam Virgi-
 nem consueto hoc officio veneratus non fuif-
 set. Ann. S. 7. Verum in Mariam amoris speci-
 men constantia est. Quæ nescio peragere vel-
 le, dum fervet pietas, & paulo post pie propo-
 sitorum oblivisci, res est. quæ beatæ Virgini
 mirum displicet. Tu ei si placere cupis, de-
 votiones tuas fac sint constantes. Dies abeat
 nulla, qua eam non invoces non honores.

20. Eystettensis quidam Sodalis nunquam
 domo pedem efferebat, quin Deo, Deiparæ,
 sanctis Patronis se commendaret, hoc rogans,
 ut immaculatus custodiretur in via & reduce-
 retur.

retur. *Ex ann. S. 7.* Brevis sed sancta orationis materia. Eget adolescens Dei gratiâ, si illæsus redire domum desideret. Heu quoties evenit, ut in latrones innocentix suæ incautus & nescius juvenis incidat ! dum domo exeundum est, exemplo Judithæ Angelum tuum invoca, ut custodiat te in via, & non permittat te clientem suum coinquinari.

21. S. Gregorius Nazianzenus studiis vacans Castitatem sedulò per mortificationes, orationes & Jejunia custodivit. Præmium hoc tulit. Duæ ei in somno Virgines apparebant, quarum nomina erant sapientia & Castitas. Prior se moraturam promisit cum Gregorio, si sociam in honore habere vellet, & utramque in eodem cordis habitaculo collocare. Intellexit Adolescens sanctus, quid hoc sibi vellet, & constanter in Castitatis conservacionem incumbens mirabili doctrinâ à Deo ornatus est. *Ex vita.* Quæris sapientiam, studiose? Non habitat in corde peccatis subdito, non in lascivo animo. Hinc si proficere vis in studiis, Castitatis curam habe maximam.

22. Oeniponti Juvenis Sceleratæ Domui jam vicinus erat, suo de more genio indulturus. Objicitur ei prope domum imago Christi è Cruce pendentis. Aspectus primus tanto eum mox terrore perculit, ut pedem à pessima viâ, animum à scelere concepto abstraheret, ad Confessarium Rectâ properaret, totâque vitâ seriò expiatâ totum se divino
amori

amori consecraret. Nunquam postea domum
 impiam ut repeteret, induci per socios potuit.
Ex Ann. S. 7. O quantum vel solus Christi
 crucifixi aspectus valet ad peccati horrorem
 incutiendum. JESUS Dei Filius tanta in Cru-
 ce patitur pro peccatis hominum; huic à Deo
 non parcitur. Peccatori quid fiet? quanta
 eum manent supplicia? Sed & amorem Christi
 erga homines dilce, & statue an posthac pec-
 care in eum possis. DEUS meus pendet in pati-
 bulo, ajebat Bernardus, & ego voluptati ope-
 ram dabo? Non poteris certè peccati deside-
 rio tangi, in JESUM tuum si defigas oculos.
 Hinc habe in cubiculo tuo crucifixi effigiem;
 hanc intuere sæpius: ab hoc tibi dici cogita,
 quod sacerdoti cuidam impio dixit: Quid
 feci tibi? cur me sic tractas? in quo offendi
 te? Hæc audiens, si potes, pecca. Memor
 tamen, eundem fore judicem, quem jam con-
 temnis.

23. Joannes Berchmannus nunquam pran-
 dio vel cœnâ abcessit, quin aliquas in cibis su-
 mendis mortificationes, sive victorias Deo ob-
 tulisset; aut abstinendo ab uno alterove bolo
 magis arridente, aut ratione aliâ gustum mor-
 tificando. *Ex vita.* Imitare facilis & frequens
 est occasio. Intelligeres utinam, quantum tibi
 in cœlo Thesaurum comparare hoc modo pos-
 ses! Victoriæ hæ tuo iudicio leves, ô quale
 moribundo tibi afferent solatium! Nihil leve,
 quod summa æstimat Majestas.

24. S. Joannes Chrysoſtomus nobilibus natus
parentibus, nobilium pompam fastidire ſtatim
à teneris cœpit, nec famulos, nec veſtes ſuper-
fluas, aut ſimilia admittens delicata, aut ſplen-
dita. Reprehenſus propterea reſpoſuit: Num
primus ego ſum, qui vitæ humilitatem colo?
Deum didici delectari humilibus, & his dare
gratiam: huic placere, huic obſequi volo.
Ex vita. Quam multa ſunt, in quibus vanitas
ſæpe dominatur! Sed hoc planius non dico:
Illud exemplo Sancti hujus diſce, ne movea-
ris aliorum loquelis, aut illuſionibus, ut omit-
tas, quæ Deo placent, aut agas quæ Deo diſpli-
cent. Deum ſolum attende; Deum ſolum time.

*Hiſpali accidit quod reſero. Sodalis erat qui ca-
lamum quendam ſcriptorium ex Sodalitio ſurri-
puerat, juvenili furto. Is ipſe minus caſto amo-
re perſonam aliquam proſequebatur. Ad hanc
litteras exaraturus, eundem, quem è cœtu Maria-
no rapuerat, calamum adhibet. Cœpta vix erat
ſcriptio, & vehementiſſimam ſibi alapam inſtigi
advertit, voce hæc additâ: Etiamne Sceleſto
rem mihi dicatam temerare audes? Manſit ad dies
aliquot nota inſlicta plaga, ut vi altiore impactam
eſſe conſtaret. Man. Sodal. Studioſe an non mi-
raris tantam B. Virginis ſeveritatem? quid calame-
levius? hunc ereptum ad uſus alios deputari
agerrimè tulit ſacra Virgo. Cur ita? B. Virginis
conſecratus erat. Res cœleſti digna ultione eſt
rem Deo. & B. Virgini ſacram quem nescio in uſum
impendere. Exhorreſce ſtudioſe: An non & tu
membra*

membra tua, linguam tuam, pedes, manus, & totum Virgini sapius immolasti? promittens, nihil se dicturum facturumve contra honorem ejus? & quid tu? quoties ausu sacrilego temerare ausus es linguam tuam, proferendo verba vah quam foeda! quoties inquinasti pedes eundo ad domos suspectas & periculosas? Idem dic de membris aliis. Et vindictam non times? odit odit, mihi crede, & abominatur B. Virgo furtum & rapinam in holocausto. Rem sibi dicatam impie adeo profanari non feret.

25. S. Clemens Ancyranus postea Episcopus monitus in juventute à Matre, hanc unam sibi pro tot laboribus exhiberet gratiam, ut fortis perstaret in fide si quæ surgeret persecutio, id enimvero se solerter præstiturum reposuit. Quod & in ætate virili complevit luculenter. Ad propositos enim honores & pœnas intimo corde ingemuit, quod Deum videret rebus adeo vilibus comparari; jussus fuerat aut fidem deserere proposito honorum præmio, aut tormenta eligere acerbissima. Elegit ista & tulit viriliter. *Specul. Juvent.* O si par esset cura tua in implendis tot monitis quæ tibi jam subministrantur, tum à parentibus, tum aliis. Roga Sanctum hunc hodie, ut gratiam tibi impetret hoc agendi, præcipue ne Deum tuum proposito quovis vel præmio vel metu offendere audeas.

26. Rhedonensis Sodalitatis infamista cum infirmiore uteretur valetudine, monebatur ut in templo Sedens preces suas perageret, ne sani-

tati

tati noceret: Is vero: Malo mori, ajebat, quam debitum Deo meo honorem reverentiamque non exhibere, quem tamen in templo presentem credo: *Ex Ann. S. 7.* Exemplum pueri imitari ne erubescas. Fac eam in templo exhibeas Deo tuo reverentiam, quæ signum sit, credi à te adesse non solum eum, qui redemptor tuus fuerit, sed & Judex futurus sit severissimus. Abominatio est presente & inspectante iudice suo ad risus jocos, & nugas converti.

27. Berchmannus ob levem quempiam defectum à superiore monitus, tantum absuit, ut agrè ferret ut tria pro eo statim offerret recitanda Rosaria; Habes similia in plurimis. *Ex vita.* Imitare saltem in eo, ne excandescas, aut mala nescio quæ iis imprecari audeas, qui ex officio suo te monent, aut castigant. Benè tecum & cum anima tua sentiunt. Erit dies, quo patebit, utri te plus dilexerint, an Magistri tui & Professores, an progenies tartaræ, Socii tui pravi, quam nescio amicitiam simulantes.

28. S. Mammæ Martyr graviter ad deserendam fidem tentatus ajebat: Ego à Deo meo nunquam recedam, & quemcunque potero ad eum adducam. *Ex vita.* Nunquam à Deo recedam: Vox Christiano digna! quemcunque potero ad Deum adducam. Vox Apostolica! firmus in Dei obsequio perstite: Alios, dum licet, ad Dei agnitionem, ad templum, ad sceleris fugam inducere satage; Quotidiana est occasio.

29. Neapolitanus quidam Sodalis in leprosum incidit. Nauseam vel aspectus creabat. Hanc ut generosè vinceret, varia ei exhibet obsequia, demum & partes leprâ maximè deformatas osculatur. *Lechner*. Ita ille nauseam vincit: Ridet ista delicatus orbis noster, Non videt Deus. Non vident sancti; quorum hic erat labor, vincere se in iis præcipuè, quæ maximè videbantur ardua. Xaverium nosti? Saniem ex ulcere fuxit, ut se vinceret. Tantum a te petere non ausim, sed, an non vincere te possis v.g. mane surgendo generosè & debito tempore; declinando socium dilectum quidem, sed impium; non accedendo domum periculosam &c.

30. Bertrandus Cornelius more suo cum sociis vacabat genio, gulæ, libidini: Medio in æstu foras se proripit: cogitationem de Æternitate concipit: huic inhæret diutius. Adsunt interea Socii, revocant ad gaudia; At ille: Imminet, imminet Æternitas! parate vos! mutate vitam! ego alius ero. Et fuit profecto; Religionem enim ingressus Sanctè vixit: *Ex Arn. S. 7.* Oblatas tibi à Deo inspirationes excipe, & iis morem gere; neque sociorum invitationibus eas postpone. Æternitatem cogita, Imminet illa tibi. Muta vitam! alius esto. Sed in quo?

31. Henricus ab Hayden Trevirensis Romæ per annos septem versatus multa dedit raræ pietatis & sui in Mariam amoris Exempla. Abiitum ad suos parans morbo fatali corripitur. Expiatâ conscientiam peculium suum ad S. Andream,

S. Apol-


S. Apollinaris, & B. Virginis honorem Testamento legat. Somno dein obruitur, quo solutus advocato ad se Sacerdoti dixit; O Pater quæ ego vidi? Salus mea fuit in angusto; at benignitas Mariæ Virginis, sanctorumque Andreæ & Apollinaris in tempore succurrit. Narravit deinde quod coram iudice divino accusatus jam jam damnationem sibi imminere crediderit, sed adfuisse aiebat B. Virginem dicentem ad Dæmones: quo vos istum rapitis, qui tot annos mihi in mea congregatione servivit? liberatum se sic fuisse potestate Dæmonum, & hinc securo jam & læto animo moriturum. Quæ dicens placide exspiravit. *Lechner*. Remuneratur B. Virgo obsequia sibi præstita. Succurrit in periculo illo, ubi non est qui adjuvet. Cliens Mariæ nullus infeliciter moritur: nullus æternum perit. Esto cliens tantæ Matris, sed verus & constans.

Adolescens in Lusitania pessimos in tenera iam atate mores induerat, factus ipse dein aliorum seductor infelix. Obviam factus die quodam Sodali ad cœtum Marianum abeunti, suadet huic, secum ut missâ Sodalitate agros peteret. Reluctabatur is primum; pensum die altero ferendum causatus. Tandem timore abjecto sequitur impium; foras progressus, post colloquia Sordida Eheu! ad tactus diabolicos & nefanda flagitia deducitur, longè alius domum reversus, ac exierat. Postridie summo mane domum seductoris accedit, ut hoc duce ad Scholas pergeret, poenâmque negle-

An pensi subterfugeret. Quare è domesticis, ubi
 esset studiosus: reponitur, harere etiamnum in le-
 to. Expectat horam totam. Reversus interea im-
 pii pater, agrè filii pigritiam ferens, cubiculum
 ejus adit, somnum ei excessurus. Reserat januam;
 sed subito à teterrimo monstro rejicitur. Mater
 sumpto animo idem conclave petit: lectum ser-
 vatur. Horrendum dicta! Nonnisi horrida vel-
 ut ardente manu impressa, ibi signa reperit: de-
 niq̄d & filium videt, sed sicut, coelites! O quam
 funesto! caput exanimis juvenis depressum erat
 supra sedem sordibus humanis foetidam, quibus
 impurum ejus os & lingua purida immersa
 erant: manum alteram ad locum nefandi flagitii
 tenebat: corpus totum multiplici atro stigmatè
 notatum apparuit. Pexenfelder. Mater ani-
 mo impie lascive, peccator huc propera, hoc in-
 suere spectaculum; & si potes audacter pecca.
 Perge, perge, linguam in sermones impios solve;
 perge, manus nefandas, quo voles, extende.
 Non luditur DEUS, statuit horam, quâ te puniat.
 Habebis hunc inter inferos socium, si jam habeas
 in scelere. Si sapias expavesce peccatum omne,
 sed illud precipue, quod castitati adversatur. Vi-
 de etiam, quale pramium seductor ferat, &
 time! vivit adhuc vindex in
 caelo DEUS.

A. M. D. G.

Ansi


 Anni Sancti Mensis secundus
 Februarius.

S. Aloysius ab ipso Sanctissimo Domino nostro Papa Benedicto XIII. in Patrum studiosæ Juventutis & exemplar propositus, levissimam etiam peccati aut periculosi consortii umbram vehementissimè abhorruit. Hinc cum in lusu quodam umbram puellæ osculari à coetaneis juberetur; ad petitionem si non impiam, certè minus castam exhorruit, & pudore suffusus confestim occasione & consortio se subduxit; neque ut lusum ejuscemodi repeteret, induci postea unquam potuit. *Ex vita.* Quasi à facie colubri fuge non peccatum modò, sed & umbram peccati: fuge peccandi pericula; lusus periculosos abominare; consortia eorum fuge, qui ad illicita aut liberiora aliqua te invitant.

2. Justus Lipsius adhuc adolescens. ne vel semel à congregatione B. V. abfuit: ad eam sæpe omisso, aut abrupto prandio properavit, hanc B. Virgini mortificationem offerens. Moriens sanctè asseruit, magno se propterea solatio perfundi. *Ex vita.* Imitare, & dum hodie tuum erga Sanctam Virginem amorem renovas, sta-

tue congregationibus ejus, quoad fieri poterit, semper interesse. **Brit** & hoc tibi majus in morte solatium, quam si horas illas vel otio vel somno vel alteri corporis recreationi à te impensas fuisse recorderis.

3. Joannes Berchmannus sub initium mensis cujuslibet ex Præsidente Sodalitatis quærebat; quænam obsequia devotionis Deo, B. Virgini, & sanctis Patronis eo mense exhibere posset, aut quem errorem corrigere. *Ex vita.* Imitare; quære idem ex confessario tuo, aut certè ex conscientia tua; quid præcipuè eo, quem inchoas, mense corrigendum sit; quæ devotio suscipienda. Labitur alioquin mensis, labitur Annus, nec pro cælo aliquid aut pro æternitate agitur.

4. Theodorus Adolefcens Ægyptius dum festo quodam die splendidissimum parari videt in paterna domo convivium; hanc animo suo cogitationem cœlitus illapsam advertit: Quid proderit tibi, Theodore, si bonis his omnibus fruaris, cœlestibus autem excludaris? Præsentibus his & futuris frui nemo potest. Hæc cogitans in domûs angulum se recipit, mundi vanitatem & pericula considerat, gratiam à Deo, ne æternis bonis excideret, enixè flagitat. A matre ad prandium vocatus, venire renuit, æternorum consideratione totus absorptus. Ne igitur æternum foret infelix, ad S. Pachomium abiit; vitamque eo dirigente vixit sanctissimam. *Ex Vitis PP.* Plurima sunt, quæ observes. I. Quàm
levi

levi è re beatitudo Theodori pendebat ! in-
 rationem illam si neglexisset, si velut tempori
 non idoneam animo exclusisset, nescio, an alio
 tempore vocatus à Deo fuisset Ergo ejus exem-
 plo inspirationi divinæ obtempera : Audi quid
 loquatur Deus per confessorios, concionatores,
 libellos sacros. 2. Maluit Theodorus præfenti-
 bus carere deliciis, quàm æternis. Et hic & ibi
 felix esse non potes : Præstat hic mortificare
 corpus, præstat voluntatem abnegare, quam
 æternum torqueri : præstat modicas sibi jam
 subtrahere delicias, quàm fruendo illicitis æter-
 nas & veras repudiare. Demum pia considera-
 tio Theodoro præ cibo & deliciis fuit ; ab hac
 nec per matrem avocari se passus est. Similis
 sit tuus in devotione & studiis fervor ; neque
 aliorum te vel exemplo vel consilio abstrahi
 permittas.

5. In Paraquaria Sodalis ad impium aliquod
 facinus sollicitus ajebat : Sodalis Marianus
 sum, & sæpe sanctissimum Christi corpus susce-
 pi ; non ausim hoc facere. *Ann. s. f.* dum pec-
 cati sese offert occasio ; dum ad illud incitaris ;
 Memento te Sodalem esse illius Virginis, quæ
 peccatum quodlibet summopere averfatur. Me-
 memento toties divino te epulo fuisse refectum.
 Pudor est & scelus intolerabile linguam v. g.
 toties Christi cruore sacratam spurcis aut inde-
 coris sermonibus inquinare. Nefas est manus
 Christo Eucharistico oblatas quo nescio præten-
 dere. Dignum Styge flagitium est dare toties,
 toties datam Christo fidem fallere.

6. Michaël Ayatumus Indus à fociis ad comedendas die vetito carnes invitatus. se id futurum negavit. Dicentibus verò illis : Nemo advertit : abest præceptor ; parens non videt : pœna nulla timenda est : Sacro quodam furore excandescens, reposuit : Itane verò hominum præsentia solum abstertere nos debet, non Dei ? *Ann. S. 7.* Et tu præsentis ubique Dei recordare. Homo non videt ? at Deus videt. Hominum pœnas effugies ? Dei non evades vindictam. Hoc præsentem audere, quod præsentem non auderes homine, quanta quæso protervia !

In Trajectensi Diœcesi studiosi quidam lusu se recreaturi rursus petierant : lex ea dictante Damone per impium lata fuerat. ut qui postremus in lusu victor existeret. ceteris, quæ vellet, imperaret. Imperavit ille, sicut ut sub vesperum omnes vestigiis factisque insisterent. Adest tempus : Impius infamem scelere domum ingreditur, sequuntur ceteri : in atrio ad fores consistunt. Perpetrato immensi flagitio redux monet ceteros, se iubente ut idem singuli agerent ; qui recusaret, ei tanquam immorigero legis antea lata prævaricatori pœnam denuntiat. Nec mora : obsequuntur impio duci omnes, uno excepto. Is ceteris adhuc innocentior ad nefanda iussa expalluit ; discessum paravit, nunquam à se antea violatam, nunquam violandam posthac asserens castitatem. At focii vi abstractum egressu prohibent. Ergo quasi mutatâ mente. bene est, ajebat, sequar vestigia, si aliud non licet. Inde destinatum sceleri locum solus petit ; oblataq; amplâ pecuniâ sceleris omissionem & silentium persuadet ei

cui adolescentis seductio commissa fuerat. Rediit cum
 mater huc illuc per urbem vagatus, tandem ingruen-
 te iam nocte domum repetit. Solus nonnihil processe-
 rat, cum ecce per noctis caliginem personam aliquam
 vultu radiantem conspicit; qua paulatim appropin-
 quans alapam iuveni tanto impetu inflixit, ut humi
 corrueret semianimus. Voces has addidit personatus
 Angelus: Vel hoc verbera doctus discere impia vitare
 consortia. Alapa indicia multos dies tenuerant, ne
 alio robere inflictam esse dubitari posset. Sod. Parth.
 Impius fuit iuuenis, quia impiis se iunxit. Divina
 gratia debuit, quod in peccatum non ceciderit: ipsa
 tamen temeritas, quâ huic se commisit periculo, coele-
 stem meruit ultionem. Execrantur Angeli sancti fa-
 miliaritatem cum impiis: hoc non facturi, si leve
 quid esset aut contemnendum studiose, fuge consortia
 impia. Inter hac vivere & non peccare maius est, ac
 medias inter flammâs non avari.

7. Tertius è septem illis heroibus Macha-
 baeis nolens Dei legem violare, iussus linguam
 & manus ad tormenta porrigere, teste Scripturâ,
 linguam citò protulit, & manus constanter ex-
 tendit, & cum fiducia dixit: E cœlo ista possi-
 deo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despi-
 cio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero.
Ex lib. Machab. Etiam tu credis recepturum te
 esse membra tua in Resurrectione mortuorum.
 Sed quomodo? si pro Dei gloria ea impendis,
 recipies gloriosa; si secus, recipies turpia, de-
 formia, æternum misera. Singularis aut pœna,
 aut merces manet membra tua. Quid promit-

tis linguæ tuæ? quid pedibus? quid lascivæ
manui? statue consecrare membra tua cultui
divino.

8. S. Aloysius S. J. Jam lecto se dederat, cum re-
cordatur orationis cujusdam consuetæ eo die
omissæ. Illico electo surgit, orationem pera-
git. Placuisse hanc Deo victoriam testatur pro-
digium incendii mirabiliter à S. Adolescente
aversi. Somno enim, dum orabat, obrutus erat
candela interim vicina quæque accenderat;
Aloysius medias inter flammæ illæsus fuit re-
pertus. *Ex vita.* Imitare. Preces consuetas, præ-
cipue vespertinas nunquam omite: somnum
potius excute. Non potest non hæc orandi con-
suetudo Deo esse gratissima.

9. Juvenis Anonymus turpissimis diu vive-
bat immerfus sceleribus. Statuit tandem con-
suetudinem impiam rumpere, vim sibi inferre,
Deo servire. Initium à Confessione generali fe-
cit. Non multò post obviam ei facta est scelerum
sociâ; cumque eam nec voce nec oculo
dignaretur; mirabunda illa, se non agnosci à
juvene credens, aiebat: Ego sum illa. Tum hic
propositi sui memor: At ego non sum ille: di-
xit, abiit, alius à se, constans perstitit. *S. Grego-
rius.* Sit & tuum tale in Confessione proposi-
tum. Alius post eam appareas, & mutatus ab
eo, qui fueras. Quid proderunt Confessiones
tuæ in die judicii, si nulla eas exceperit emen-
datio?

10. Peruki Sodalis tempore Bacchanalium,

ut

ut vocant, suo se, quoad potuit, cubiculo
 inclusit; totum prope tempus precibus conse-
 crans aut mortificationi: neque ulla ratione ad-
 potantium aut ludentium cœtus inde protrahi
 potuit. Imitatus in hoc fuerat S. Aloysium, qui
 infelices ejuscemodi dies mirâ in se austeritate,
 singulari in Deum fervore & scelerum detesta-
 tione exegit. *Sod. Parth.* Gratissima certè Deo
 pietas est eo tempore, quo ab hominum malitia
 tam protervè offenditur. Tu illud solito ferven-
 tius exige quâ studijs quâ pietati vacando. Ca-
 ve communi & inexcusabili hominum errore
 abreptus quæ nescio admittere audeas. Nemini
 spatium peccandi aut facultatem divina Maje-
 stas concessit.

11. Berchmannus in morbo sæpe ingemina-
 bat illud: Ave Maris stella! Monstra te esse
 Matrem. Causam rogatus, ait: Jesum & Ma-
 riam amavi in vita, amabo & in morte. *Ex vita.*
 Imitare. Mariam cogita, Mariam invoca ver-
 bis illis, quibus & S. Ignatius ante quodlibet
 negotium ejus opem invocabat, dicens: Mon-
 stra te esse Matrem. Felicem exspecta mortem,
 si Mariam verè amaveris in vita. Sed quid est
 verè amare? verus amor non verbis solis absol-
 vitur; factis probatur. Facto ostende, an Ma-
 riam ames. Peccatum fuge, præcipue illud,
 quod Puritati adversatur; & tum verè amas.

12. In Brasilia Sodalitas iter faciens, ab hosti-
 bus suis interceptus, graviter vulneratus, semi-
 animis relictus est. Abeuntibus illis Patronum

suum menstruum in clamat Sodalis, & flumini vasto se committit, eo superato Patriam repetiturus. Audiit Sanctus vota clientis, huic apparuit, manum porrexit, vulnera sanavit, per flumen traduxit incolumen, *Sod. Parth.* Sancti tui Patroni menstrui opem in clama, sive corporis sive animæ salus agatur. Novit ille succurrere pio clienti.

Cracovia Sodalis quidam impiorum consortio seductus disciplinam scholasticam ferre ultra non potuit, utpote libertatis desiderio contrarium. Ergo primum abesse à scholis frequentius; dein illis prorsus valedicere. Nullo jam freno ultra cohibitus, per seculum omne præceps ruebatur, libertatis, ut crederet, aurea fructibus fruiturus. Sed brevis nimium erat! Paululum gustaverat mellis Adolescens infelix; ecce decimo octavo ætatis Anno medias inter delicias, exortio quo nescio tumultu, miserrimè trucidatur, nullo prorsus pœnitentiæ signo relicto. Simile quid Bitericensi sodali accidit: Deliciis liberius fruiturus, relicta scholâ, misso sodalicio, impiorum adhaeret & obedit vocibus; tempus omne potando ludendoq; perdens. Vix extimis gustata labris gaudia morbus acerbis excipit; qui audiendi facultatem misero abstulit, dein & vitam. Ann. S. 7. Sic castigat terribilis in iudicijs suis Deus intempestivum libertatis desiderium. Time, timo Studiose, qui regulas scholasticas, jugum & disciplinam pertasus libertatem suspiras; abes à scholis crebrius; studia negligis: tempus omne lusu, potatione, otio consumis. Non intra hos limites consistes. Brevis ulterius se effundet libertatis ardor;

nec

nec quiescet ante, quam divinis humanisque omnibus
conculcatis te ad tartara deiciat. Principis obsta.

13. Mexicanus quidam Sodalis à pietate pri-
ma deficere cœpit, & cupiditati fræna laxare :
Ambulabat vice quadam in urbe cum sociis suis
& grave aliquod scelus animoolvebat : tum
ecce adstat vir grandævus, vultu gravi & subira-
to eum alloquitur : Tūne, qui B. Virginis so-
dalitio nomen dedisti, hæc animo ausis volvere
facinora ? horret ille, animo deficit, humi cor-
ruit : levaturâ sociis, ad nostros adducitur : ex-
piat conscientiam ; pristinam pietatem ample-
ctitur. *Ann. 5. 7.* Errantis & errorem corrigentis
exemplum habes. O quoties idem tibi Cu-
stos Angelus exprobrare potest ? hæc tu Soda-
lis cogitare ? hæc loqui ? hæc agere ? scilicet
omne scelus te dedecet, sed quia & Sodalem te
dicis, multò magis dedecet. Imitare Adoles-
centem pœnitentem ; Ne aliquando in die ju-
dicii hoc tibi dicatur, quod teste S. Cypriano
Christiano cuivis improbo dicit Christus : Non
novi te : Christianus non es (Sodalis non es)
ubi enim opera tua ?

14. S. Eucherius postea Aurelianensis Epif-
copus lectioni spirituali indies aliquod tempo-
ris spatium consecrabat. Ex hac salutem hausit.
Cum enim die quodam incidisset in illud : Præ-
terit figura mundi hujus. Mirum se in animo
excitari ad deserenda omnia mundana advertit ;
quæ & reipsa deseruit, non sine multiplici de
styge & carne victoriâ. *Spes. 7. v. Imitare ; Mo-*

dicum quid temporis lectioni ejusmodi saluberrimæ consecra. Hac fortasse uti statuit Deus velut facili ad vocationem obtinendam instrumento. Ea verò, quæ legis, à Deo tibi inspirari certissimum habeas: illis obtempera.

15. S. Petrus Damiani gravissimis nocte quadam tentationibus vexatus surgit, hyemali tempore aquis se immergit, eo usque frigus acerbissimum sustinet, dum tentationum astus remitteret *Ex vita*. Hæc juvenis fecit. Sic Sancti certant pro castitate. An tibi grave accidat pro Angelicæ virtutis conservatione unam alteramve mortificationem suscipere, aut orationi aliquantulum vacare, dum premit tentatio? Pugnandum est. Delicatus miles faciliè succumbit. Res seriè agenda est.

16. S. Aloysius manè surgens sollicitè cavit, ne vel minimam corporis partem aspiceret nudatam; verecundia enim ejus, quæ Angelica erat, id non ferebat. Totum verò tempus, quo vestibus se induit, orationi dabat *Ex vita*. Imitare: memento modestiæ dum surgis. Vestibus dum te induis, memento præsentis Dei, præsentis Angeli custodis. Assuesce precibus certis eo tempore persolvendis. Sic diem sanctè inchoabis.

17. S. Hilarinus puer Martyr fame diurnâ confici maluit, quàm fidem negare; illud identidem Tyranno generosè oggererat: fac, quidquid volueris: Christianus sum. Non cedo. *Spec. Juv.* Pueri hæc vox est inter tormenta

menta & cruciatus. Erubescere, si facile ad eum vinci te pateris; si à propositis deficere vel leviter solum tentatus non dubitas. Non deserendus est Deus, licet incommodi aliquid subeundum sit. Nondum fame, nondum dolore conficeris. Leve tædium est, levis incommoditatis horror; & fugis e templo; nauseas studia; scholas negligis; orationes omittis; hoc est, Deum deseris. Aliud incipe vivendi genus. Dic occurrenti cuius molestiæ: Non cedo: premas me licet & affligas, non cedo: Dei amore superabo.

18. Maceratae Sodalitatis fuste ab altero per injuriam graviter percussus, hoc solum iniquo aggressori dixit: Injuriam facis, adolescens: quid me petis: omnem tibi injuriam Dei amore condono. Inde templum ingressus Crucifixum advolvitur, ejusque exemplo vindictam procul fugere decernit. Rogatus postea, ut inconsiderato aggressori veniam daret, reposuit: Nihil opus est: Neque enim inimicitiam unquam suscepi aut odium. *Sod. Parth.* Frequens certe occasio sese tibi offeret leve quid pro Dei gloria patiendi: ne tam elabi patiaris absque fructu. Cave uno alterove verbulo incautius ab aliis fortè prolato, in cognomina calumnias, exorationes erumpas. Vincete!

Rufus adolescens annorum estodecim, parente utroque orbatu apud avunculum suum Cyrillum Episcopum Hierolymitanum nutritus fuerat. Nihil in eo prater immodicam ludendi cupiditatem carpeba-

ur. Mortuus S. Cyrillo apparet, specie prorsus terribili; aternisque sese damnatum esse ignibus vociferatur, ea solum de causa quod lusui nimis addictus, plurimum ei tempus dederit, quod negotiis aliis statui convenientioribus dari debuerat. Flores exempli. Quid tu ad hoc Studiose? fidem nescio an apud te inveniat tragica hac Historia, qui nihil planè sceleris inesse putas turpissima ludendi prurigini. Illud negare non potes, plurimorum semper scelerum fontem exivisse hanc ludendi consuetudinem immodicam. Hac certè pecuniam furtivè subtrahere, tempus studiis expierati suffurari, detestanda sociis adharere, vacare gula, cauponas habere praetempus, in rixas & convivia, & maledicta & blasphemias abire, quin cum ipso stiam damone pacisci docuit, docetq; hodieum. Tu cave assuescas, nisi ad graviora ruere imprudens velis.

19. S. Andreas Corsinus, sanctè sub initium educatus, paulò post sociorum blanditiis seductus nauseare cœpit studiâ, fastidire libros, amare lusus, fugere scholas; rem verbo; vivere ex mundi genio. Verum à matre seriis verbis reprehensus B. Virginis imagini advolvitur, gratiam rogat se emendandi, & ex eo momento in alium planè mutatus vitam cœpit sanctiorem. Dixerat ei mater: Non mihi, sed Mariæ natus es. Ex vita. Studiosè, non tibi, sed Mariæ natus es, & toties oblatus. Quid verò profunt tot increpationes & monita parentum & Superiorum tuorum? Imitare S. Andream, & coram B. Virgine statue vitam aliam inchoare, emendando

dando defectus, quos tibi præ aliis familiares habes. Pete à magna Matre gratiam, quâ totus convertaris; non enim tibi, sed Mariæ, sed cœlo natus es.

20. Antverpiensis Sodalis sæpe ex Præsidente quærit, quodnam Deo gratissimum præstare posset obsequium: vilia enim & communia, ajebat, non sufficiunt, quia extraordinarias à Deo gratias mihi collatas esse memini. *Ann. S. 7.* Sodalis mi; an non & tu speciales à Deo gratias nactus es? Vide talenta tua: vide inspirationes, cogita vitam elapsam: & nega si potes. Sed qualia tu Deo exhibes obsequia? quam exhibes gratitudinem? quid hodie Dei in te tam benigni amore ages? quo abstinebis peccato? Certè enormis est ingratitude tua, si ne communia quidem exhibere velis obsequia, cum planè extraordinaria tenearis Deo tuo exhibere. Hodie saltem fugies peccatum aliquod amore Dei tui.

21. Michaël Ayatumus sollicitus semper S. Aloysii imitator; ultimo adhuc vitæ die Sacerdoti ad aram facienti operam navare voluit, uti eam indies navaverat? eo fine, ut thesaurum in cœlis augeter. *Ann. S. 7.* Imitare: Angelicum hoc officium sæpè sed modestiâ Angelicâ exerce. Stude & tuam augere in cœlo gloriam; per opera bona, per studia ad Deum directâ. Udo r est filios sæculi hac in re prudentiores esse filiis suis. Indies suis in actionibus lucrum spectat mercator; nunquam ejus augendi, occasione ne-
gli-

gigit. Tu quid pro lucro cœlesti? quid pro cœlo!

22. S. Rupertus Abbas Tuitiensis, naturâ tardus, cum nec labore quidem proficere se quidquam adverteret in studiis, opem B. Virginis quam ardentissimè poterat invocavit. Apparuit ei nocte Virgo, & sapientiam elargita est eam, quam orbis hodiedum suspicit. *Ex vita.* Ad Beatam Virginem confuge: Sedes sapientiz est. Hujus implora opem: subsidium invoca, non decrit.

23. Berchmannus hoc fecit, & sæpè renovavit propositum: fugiam consortia tepidorum, & ut basiliscum aspectus mulierum. Obtervavit utrumque sollicitè. Teste enim virâ jus velut pestem fugit adolentes quovis vitæ eliberioris: fœminam aspicere nullam notatus est. *Ex vita.* Imitare: Fuge & salvaberis, dictum est Arsenio, viam salutis à Deo scire volenti; fuge. Fuge mulieres: fuge Socios quosve suspectos. Vis castus esse? vis salvari? fuge. Frustranea sunt remedia alia, si hoc non accedit. Ah quoties Angelicus juvenis seris satanizat in annis; quia paulò liberius versari cœpit cum socio disciplinam exoso, &c. quia incautus vagari oculis libuit!

24. S. Andreas de Chio terribilia & verè inaudita supplicia passus, aliam inter tormenta vocem non edidit ac hanc: Virgo Maria adjuva me! habebat hoc antea singulare, quod joculari aut otiosa verba proferre auditus sit nunquam. *Spec. Jur.* Imitare: Facestant ab ore Soldalis

dalis joci indecentes, nedum lascivi, quibus non tam audientium animus quam diabolus recreatur. In omni necessitate Mariam invoca. Virgo Maria adjuva me.

In Flandria studiosi duo, & litterarum & scelerum consortes erant, in licentiam omnem effusi, non talem ipsam extra domicilium proprium in cauponis ducere consueverant. Ex more noctem mediam potando traduxerant; auditur hora duodecima, & eorum unus scelere lassatus domum abiit; raptim vestes exiit, lecto se committit. Adest cogitatio necdum persoluti pensis Mariani. Vicit pietas, preces licet miserè persolvit. Interea pulsantur fores, aperiantur vi, adest monstrum visu terribile. flammis undiq; cinctum; his alterum compellans vocibus: Agnosce quis sum socius tuus sum, à quo meò recesseras. Noveris; eadem illà hora, quã nos voluptati vacabamus in cauponã, à damone accusati sumus. à Deo meriti eterna adjudicati. Tibi ob preces B. Virgo inducias impetravit: ego doctum rediens à damone profecatus, aeternum habebò inter inferos. Multa alia addidit, non fore immani horrore alterius.

Pexenf. Studiose, quis animus tuus; Condiscipulorum unus servatur: damnatur alter; quis scit, quæ tua fors sit futura! Ah contremisce, & cum timore salutem optare. Unum Virgo Mater servavit: spera. Damnatus est alter: time. Spem inter & metum ambula. Nota etiam quod eadem horã accusati sint coram Deo, quo numinis obliti gulæ vacabant impii. Eadem horã. Quis scit, an non eadem hac horã,

hoc die, quo nescio quam infanda scelesti staturis, coram Deo accuseris. Disce pariter, quem exitum libertatis amor, & cauponarum frequentatio habeat. Disce etiam in juvenes iusta Dei iudicis fulmina contorqueri. Time! expavesce!

25. Berchmannus sic sæpius se allocutus legitur: Quid prodest tibi, ô anima diligi ab homine, si per hunc amorem perdis amorem Christi ut Pilatus? *Ex vita.* Agnovit prudentissimus adolescens cæcitatem hominis, qui exemplo Pilati, ut homini placeat, Deum offendit. Agnosce quæso & tu cæcitatem fortè tibi frequentem: perdis amorem Dei, ut conserves gratiam hominis; offendis Deum mentiendo, loquendo, tacendo indicanda, omittendo agenda, quia sociis id placet; quia times displicere homini. Miserum te, quid prodest amicitia omnis humana sine divina? Quid profuit Pilato Judæorum amicitiam quæsisisse, perdendo divina? Tibi quid proderit? Statue nunquam in gratiam hominum offendere Deum.

26. In Provincia Petuana Sodalis quidam, quem antea pudor à manifestando quodam scelere absterruerat, Missionario nostro sincerè omnia aperuit, inquit: Paratum se esse coram orbe toto peccata sua manifestare, ne dæmon aliquando ea objicere possit ad ignominiam sempiternam. *Ann. 8. 7.* Cave sedulò, ne unquam maledictus pudor eò te inducat, ut sacrilego ausu scelus in Confessione taceas. Hor-

res hoc agere? laudo horrorem: fac ut sit perpetuus. Pereat pudor, salvetur anima; ait Tertullianus.

27. S. Eduardus nihil unquam negabat, quod amore S. Joannis petebatur. Pietatem hanc non uno prodigio remuneratus est Deus; qui etiam imminentem mortis horam eidem per S. Joannem indicavit. *Ex vita.* Imitare: In hoc tuus eluceat in Sanctos amor, ut nihil eorum causâ renuas, nihil non agas. Petit à te B. Virgo, petit Patronus menstruus, ut hoc illud vitium studeas emendare, consortium illud fugere, & si ejus sentire patrociniū desideras, obedi voci ejus: ejus amore te emenda. O quàm hoc facile! quàm utile, habere per dies singulos è Sanctis unum, cujus amore diem illum bene colloces.

28. Fuit Clagenfurti in Austria, qui ut viveret licentiùs, dixit impius in corde suo, non esse daemones, aut infernum. Hinc in vitia omnia ruere pro ludo ei & joco fuit. Verum iniecit effrenatæ huic vecordia manum misericors Deus, Infelices æternitatis infernalis carnifices non tantum vidit impius ille, sed & sensit, quando presso gutture ac prope eliso spiritu ad extremas redactus est angustias. Eluctari vox una potuit Jesum & Mariam inclamans. Fugerunt tum spiritus tartarei; impius ille tanto perfunctus periculo, mox ad Patres Societatis properat, conscientiam expiat, vitam inchoat sanctam. Quæ ut constans esset, elegit sibi pro Tessera voces

oes illas : Discedite à me maledicti. His ille salubri semper eventu à peccato vel invitus avocabatur , ad constantiam trahebatur. *Ann. S. 7.* Resipiscentem hunc tibi propone juvenem , non errantem. Tesseram illam habe familiarem tibi : Discedite à me ! recordare judicii illius ultimi : Gehennam tibi ob oculos statue ; non peccabis.

29. Anonymus Sodalis devotissimum se Mariae Virginis clientem vivus ostenderat. Moriens , ut sanctam Virginem invocaret , ait : In hac spes meas omnes collocavi , nec de ope illius dubito , inde raptus in ecstasin , clamabat : Abyssus abyssum invocet. Restitutus sibi ; Deus bone , agebat , quæ se mihi visa objecerunt ! quàm formidabilia ! quàm horrenda conspexi ! sed B. Virgo mihi adfuit , me defendit : lætus morior. *Man. Sod.* De morte hac quid sentis ? felix est , inquires. Sic est. Stude , ut & tua sit similis. Spem in B. Virgine omnem colloca. Aderit hæc , si sanus eam colere non desistas. Frustra autem ab ea opem exspectas , si ejus amore te vincere , ei servire renuas. Novum igitur hodie in ejus obsequio fervorem concipe.

Martinus Delrio refert in Flandria comitatu tres fuisse Ganeones & lascivos Juvenes , absque pudore omni potando luxuriandoque vitam prodigentes. Die quodam in seram noctem compotationes produxerant ; tum unus eorum ; sat , ait , Bacco ventrique datum ; Deo gratias saltem. Ego verò inquebat audacior , demoni gratias ago , cui operamur. Dixit , & cursu socum

foetis lectum & scelera petiit. Vix decubueram, ecce tibi janua vi resorata, demon atri & trucis viri speciem indutus ingreditur habitu venatorio, molossis duobus stipatus. Tum ad lectum conuersus: Ubi est, aiebat, qui mihi gratias egit? referam & ego: ideo enim adsum. Lecto pavitantem abstrahit blasphemum, insigit ejulantem verui ibi posito, luculento igne assat horrendum vociferantem. Dein rursus ad lectum versus; digni vos etiam estis, aiebat pari supplicio; nec vobuntas mihi deest; vi maiore prohibeor: Inuitus abeo, & moneo: Respiscite, aut terribiliora vos manent. Hac dixit & evanuit. Tremor & pavor nocte tota relictos in lecto scelerum socios exanimatos propè occupauerat; facta luce socium reperiunt extinctum, & planè assatum Delirio. Nescio an terrificum magis exemplum orbis viderit, priore saeculo factum. Vade, & Dei patientia abutere: tanto pecca liberius, quanto te Deus expectat deuius. Vade potationi, lasciuia & cui nescio sceleri totum te trade: Sunt adhuc iusto iudici fulmina quibus te percussiat: Sunt inferi, quo dejiciat: Habet iustitia sua ministros demones, qui quovis momento saluti tua inhiant, pascere suam tua pernitie inuidiam molientes. Discite etiam non esse supplicium ullum aded vel auditu, vel cogitatu tragicum, quo non scelera castitati contraria puniverit Deus. Time, si similia amas. Nullum scelus est, quo divinam in te iustitiam certius valeas concitare: Nullum quo ad inferos propere facilius.

Anni Sancti Mensis tertius Martius.

1. **B.** Stanislaus S. J. rarâ adeò & verè Angeliv-
vit, ut non alio quàm Angeli nomine compell-
laretur; multi etiam essent, qui ad templum
ocurrerent, solum ut ejus orantis modestiam
contemplerent. *Ex vita.* Dignum cœlo spe-
ctaculum. Adolescens devotè in templo ver-
sans. Domus Dei est, in qua oras indies, studio-
se: Judex tuus est, in cujus conspectu oras &
versaris. Time indecens aliquid admittere, non
sine intuentium scandalo. Observa modestiam
in templo.

2. Bituricensis Sodalitatis morti proximus sic
suos alloquitur: Condiscipuli mei, fugite pec-
catum; declinate socios pravo; amate B. Vir-
ginem, in qua spem omnem colloco; hanc cum
Patronis menstruis pro felici lucta ultima im-
ploro. *Ann. S. 7.* Hæc fac & vives. vives vi, tam
studiose dignam; vitam beatam in cœlis. Re-
nova hodie devotiones tuas erga B. Virginem
& Sanctos; item proposita alia pia.

3. S. Casimirus Passione Christi tenerrimè
addictus fuit; sæpè de hac legit; de hac liben-
tissimè locutus est. S. Franciscus Serapicus, &
S. Vin-

S. Vincentius Fextorius à teneris eidem Passioni erant addictissimi , ad solam ejus memoriam abierunt in lachrymas. *Ex vita.* Imitare, & imminente vel præsentem tempore quadragesimæ recordare Christi pro te passi ; ejus amore non recusa pati aliquid vel laborare , qui pro te dignatus est mori.

4. **S. Æsquilius** postea Archi-Episcopus, duodecim annos natus, lethali morbo correptus , à medicis depositus, ad luctam ultimam munitus, in ecsthasin raptus videbatur , sibi versari in domo flammis undique occupatâ ; è qua cum elabi fugâ per omnia conclavia cuperet ; ad splendidam aulam devenit, in qua Angelorum Regina regali folio residens propitias supplicantibus aures dabat : Illic ratus fore se securum , pedibus Virginis advolvitur , clementiam invocat. Dedignata Virgo intueri eum , abduci jubet , & ad ignes abjici : Sancti præsentem rogare pro misero , & Virginem placare laborabant. Ad illa : Cujus vos causam agitis ? Juvenis est impius, pietatis osor, impurus , à quo nunquam ritè honorata fui. Rogantibus verò de novo Sanctis & emendationem pollicentibus, ipso Esquilio sancta omnia promittente reposuit Virgo : Iret & emendaret vitam , errores præteritos elueret , fidem servaret inviolatam. Cessavit sic visio. Esquilus sibi redditus, rem seridè agi videns, totum se pietati & Virginis cultui dedit ; aded ut in Archi - Episcopus eligi meritus fuerit. *Spec. Juv.* Non errantem sed resipiscentem propono
Esqui-

Esquiliam. Frustra tibi à Virgine favores polliceris in vita hac pessima. Oculos à te avertet, si tu à pietate avertas animum tuum. Infelicem te, nisi resipitas.

5. Alexander Bertius, Adolescens piissimus, è schola domum reversus, domesticos convocat, refert audita in concionibus scholasticis. *P. Niess.* Imitare: O quàm multum boni præstari à te posset, si tempore prandii vel cœnæ referres exempla, & alia in scholis audita! quot mala impedires! quot sermones minus honestos arceres!

6. Neapolitanus Sodalis impuro amore diu detentus, ejuratâ vitâ pessimâ sanctam cœpit; de constantia sollicitus jubetur ad B. Virginem confugere: obsequitur. Accipit pauld post in scedula Patroni menstrui hanc sententiam S. Gregorii: Noli cessare ab oratione, quod enim tibi largiturus est Dominus, non negat, sed differt. Animatus hac voce perrexit in precibus, adedque in proposito pio confirmatum se sensit, ut ad peccata priora reversus sit nunquam. *Ann. S. 7.* Imitate, indic ad B. Virginem confuge per preces, & constantiam in propositis tuis flagita, Ne dubita; sequetur emendatio constans.

Sodales duo pomeridiano tempore, quo cœtus Marianus adeundus erat, captato ex amœnitate cœli consilio navem conscendunt, ut in Pado Italiae flumine lusitabundi reliquum diem exigerent; dum id agunt, dicit alter alteri: Quin in hoc otio Sodalitatu pensum persolvimus, & horarias B. Virginis preces oramus?

Respon-

Respondit alter : Leges Sodal tatis non obligare sub peccato ; & precandi animum sibi jam non esse. Orat ergo unus ; negligit alter : Pœnam iste , aliter primum repente tulit. Oriã enim nescio unde tempestate & cœlo in turbinem verso ecce ! navis agi flumine toto , concuti , impingi , demergi , ambo in flumen exuti : ambo Mariam inclamare : Adest hac ei , qui preces persolverat & prehensã manu periculosum eripit : ad alterum verò simile auxilium implorantem conversa ait : Non obligaberis me colere ; nec ego oblige te morte eximere. Hoc dicto miserum cum morte luctantem deseruit. Sod. Part. Sicut Mariam colis . sic te adjuvabit. Time tepori tuo & ignavia : nunquam negligere consueta ei obsequia exhibere. Miserum te , si te Maria deserit : deseret autem , si tu prior eam deseras.

7. Anonymus Sodalitatis ad peccatum à sociis invitatus, neque precibus, neque promissis, neque verberibus cessit. Ausi sunt impii constantem in proposito juvenem ligare vinculis, per tres dies in loco tenebroso detinere, pugione etiam intentato mortem minari, nisi obsequeretur. Sed nec sic quidem, ut scelere consentiret, induci potuit: hoc unum heroã semper voce reposuit: Malo mori, quàm scœdari. Ann. 5. 7. Mira certè in juvene constantia: hanc tu stude simulari; dum a sociis aut dæmone ad peccatum quaecumque incitaris, non cede blanditiis, non promissis, non vano timori. Repete illud: Malo mori, quam scœdari.

8. B. Aloysius oculorum mortificator admirabilis; res visu jucundissima, eis planè interdixit;

xit ; ut, dum equitum lustrationi intresse cogebatur ; dum Legati Japonii Romam abirent, pompam illam ne intueri quidem voluerit. *Ex vita.* Levia hæc sunt tuo iudicio : sed & in levibus his magna sæpè victoria, res Deo gratissima. Imitare, mortifica subinde oculos ; dum res jucunda eis sese offert : averte oculos tuos, ne videant vanitatem præcipuè in sexu altero. Non unus hæret inter inferos, qui æternum foret felix, si oculos suos ab objecto aliquo illicito avertisset. Videre omnia velle curiosè, primus ad peccatum gradus est, primus ad interitum.

9. Berchmannus sæpè sanctissima Confessionis & Eucharistiæ Mystera obiit, non contentus iis vicibus, quibus per legem studiosi omnes eadem Mystera jubentur suscipere : Fructus, quem consecutus est, hic erat, ut tantam animæ puritatem adeptus fuerit, quæ sæpè nec absolutionis materiam Confessario suppeditaverit. *Ex vita.* Imitare ; sæpius sacra hæc accede Mystera, non tantum pœnæ scholasticæ metu. Præcipuè, dum festum aliquod solennius est, aut dies Patrono menstruo sacra, nunquam omitte S. Communionem : Miserum te, si hac in re tepere incipias ! Unde accidere dices, multos esse è Philosophis qui vitam prorsus dissimilem agant illi, quam egerunt in scholis humanioribus ? dicam ; ex eo accidit, quia rarius divina accedunt, aut minore cum devotione.

10. Viennensis Sodalitas ut se arctius B. Virgini obstringeret, votum Castitatis concepit ; scedulam

dulam voti testem è collo suspendit ; contra tentationes omnes præsentissimum inde remedium hausit. *Ann. S. 7.* Tantum non peto à te; hoc tamen utilissimum foret ; si post maturam deliberationem & consilium, Confessarii ad breve tempus, vel tale Castitatis, vel aliud devotionale votum conciperes : cogitur hac ratione natura cæteroquin inconstans, ut obediat Deo, & agat bonum. Sed & hoc facile est, ut sæpè formulam sodalitatis renoves, & sic identidem te de novo B. Virgini consecres.

11. S. Thomas Aquinas à teneris nullo ludi genere, sed libris solum delectabatur: sic vita ejus disertè testatur. *Ex vita.* Imitare: Vocavit te Deus singulari suo in te amore ad studia, per quæ idoneum te faceres officiis altioribus pro tua & aliorum salute gerendis. Ergò tuum est, studiis præcipuè delectari. Alloquere te sæpè, uti Bernardus solebat, dicens: Bernarde, ad quid venisti: venisti non ut ludas, ut otieris, sed ut studeas. Fuge præcipuè lusus vetitos, in quibus non temporis solum, sed & pudoris, & innocentie jactura non rarò subitur.

12. Ingolstadiensis quidam malorum sociorum flagitio in detestanda quævis scelera lapsus, eò etiam deductus est, ut dæmoni se tradere statuerit; jam scedulam scripserat; jam occasione inhiabat; cum ecce una hæc occurrit cogitatio: Hæc tu, cum Sodalis sis, audes? fregit ista impudentis animum, & mutato repente consilio ad Confessarium abit, rem exponit, deploratque.

que. *Sod. Parib.* Hæc tu, cum Sodalis sis, audest hæc? tam turpia? tam indecõra? tam abominanda? pudeat! Sodalem te dicis castissimæ Virginis; & hæc audes, quæ vel casta auris refugiat? Sodalem dicis Virginis mundissimæ; & hæc audes, quæ & tuam & aliorum animas fœdissimè deturpent? Erubescere, & hæc salutari cogitatione compunctus abjice nefandas illas consuetudines; fuge peccatum hoc -- nosti quale, quàm periculosum, quàm indignum eo, qui Sodalem se dicit.

Placentia Sodalis sacro igne accensus statum Religiosum spirabat: eã apud omnes opinione erat, ut Mariana præfectura ei committeretur. Verum sociorum pravorum consiliis à Sodalitate, à Religione, à pietate abductus lascivus amoribus irretitus est. Puellam quandam insano amore deperibat. Hujus ante fores obambulans adolescentem alium videt, qui alia omnia agitando ibi constiterat. Exarsit miser & rivalem suum esse ratus; edico tibi, ajebat, ut illicò hinc facessas, nisi pessimè haberi velis. Excusat alter factum fortuitum. Sed Sodalis impius stricto gladio eum in fugam compulit: Ille fugiens animum revocat, stringit gladium, vim vi repulsurus; jamque instantem obversus pede fallente corruit, gladio ante se elato; in quem furore excacatus miser amator irruit, sequè ipsam alieno ferro transfigit; paulò post vitã discedit. Ann. S. J. Hoc sine coronatur lasciva impietas. Tua pietati, si qua est, noli fidere: quanto illa major est, tanto graviores demon insidias parat per socios maledictos, tanto ruina eris terribilior.

13. Michael Ajatumus dum sermonem turpem aut paulò liberiores à sociis moveri advertit, confestim tacitè consortio se subducit, ne verba ad animum penetrarent, animam læderent. Idem in S. Marculphi vita laudatur, quod omnia coartaneorum vaniloquia studiosè vitaverit. *Ex vita.* Amas castitatem? ama hac in re imitari. Fuge, fuge sermones vel à longè turpitudinem aliquam redolentes. Nihil castitati noxium magis, O quot adolescentum innocentia illæsa adhuc esset & integra, si verbum unum alterumve turpius ad aures non admisis-
sent.

14. S. Calabyta dæmonem superaturus rarâ constantiâ annos multos in domo paterna ignotus, pauper, patiens exigit; causam rei hujus ipse his verbis sub vitæ finem dedit: Christum meum amans, suave jugum ejus portavi. *Ex vita.* Disce dæmonem vincere in levioribus saltem: constanter exequere proposita tua ante Confessionem facta: non desere pietatis exercitia, quæ pio fervore inflammatus suscepisti. Displicet Deo stulta & infidelis promissio: displicet inconstantia.

15. Joannes Bartirotus Castellanez princeps Sodalis, in honorem Passionis Dominicæ diebus Veneris flagello in corpus suum innocens desæviit; & hoc quidem fecit annos nonnisi novem natos. Michael Ayatumus eandem ob causam jejunabat Feria sexta. *Ann. S. 7.* Par est, ut & tu tempore Quadragesimæ mortifica-
tionem

tionem aliquam subeas in honorem Christi
passi. Quam verò ? si jejunium & flagellum di-
splicet, diebus Veneris abstine peccato aliquo,
ad quod maximè inclinas.

16. S. Paulus postea Viridunensis Episcopus
à vocatione implenda avocabatur per parentes,
qui quæ nescio bona ei oggerant : at ille ni-
hil, ait, intulimus in mundum hunc, nihil au-
ferre inde possumus : Deum sequor. *Spec. Iuv.*
Agnovisti fortè vocationem tuam : Cave ulla
te res ab ea implenda avocet. Bona mundi, di-
gna non sunt, ut eorum amore Deo vocanti
morem gerere dubites. Deserenda erunt tibi il-
la, si non antè, certè in morte. Sed & in quavis
peccandi occasione Dei vocem sequere non ho-
minum. Dei vox est : declina à malo, & fac
bonum. Vox Dei est : Quasi à facie colubri
fuge peccatum. Hanc audi.

17. Mediolanensis Sodalis erat, qui alterius
castitatem expugnare laborabat : Respondit il-
la : Corpus hoc, quod Sanctissimam Eucharis-
tiam hodie suscepit, nullo certè humano con-
tagio violari patiar : vitâ potius quàm pudicitiam
cedam. Attonitus ad hæc verba juvenis, eâ-
dem sanctissimæ Eucharistiæ susceptæ memoriâ
à scelere avocatus est, atque ut nunquam tale
repeteret, frequentius eam suscepit, frequentius
ejus recordatus est. *Ann. S. 7.* Studiosè mihi
quid est, quod sceleris cupiditatem reprimere
possit, potest id memoria Ss. Eucharistiæ toties
susceptæ. Cogita ergo sæpè : Hodie, vel ante
duo-

duos aut tres dies suscepi Christum Eucharistici-
cum, non audeo linguam meam, non manus,
non oculos violare; Christus enim membra
hæc veluti sacrauit.

18. Launomarus postea Abbas, de victu
quotidiano à parentibus submisso, fermè indies
aliquid sibi subtrahit, egenis largitur. Hoc ip-
sum à plurimis sanctis adolescentibus factum,
Credo majore eos in morte fructos esse solatio,
ac studiosos illos, qui expensas à parentibus pe-
gunias lusu & otio perdiderunt. *Spec. Juv.* Tu si
egenis largiri potes, preces pro eis non raro
perolve; Parentum sumptus ne frustranei sint,
omni studio enitere.

*Adolescens quidam modestia omnis virtutisque
exemplar omnium in se oculos amorémque rapuerat;
alienissimus ab omni vitio, in quod incauta sape ju-
ventus solet impingere. Audiit ille nomen Poëta cu-
jusdam veteris celebrari ob versuum concinnitatem;
reprehendi tamen ob impuritatem. Nihil ille mora-
tus, Poëtam emit, solam in eo Latinitatis elegantiam
spectaturus. Emptum legit, lectum probavit, proba-
tum suis non tam versibus, ut statuerat, quam mori-
bus expressit. Sensere mutationem inexpectatam om-
nes & genuere. Clades manifesta erat, cladis causa
occulta. Apparuit deinde & ista; adhibita reme-
dia; sed incassum. Præcepit animus, jugo palam ex-
cussio, per omnia vitiorum abrupta ferebatur; adeo
ut à Magistratu publicâ infamiâ notatus, scholâ &
urbe proscriptus fuerit, utinam non & coelo. Lechn.
Tantum valet libri pestiferi lectio. Cautus hic esto.*

Occurrunt passim cantilena, libri non nisi igne & tartaro digni. Curiositatem eorum lectione pascere velle, res periculo plena est. Hæret altè infixæ memoria lectio pestifera; cladem excitat eam, quam in adolescente hoc conspeximus. Projice abs te libros tales. Cyriacû ejusdam Monachi domum intrare B. Virgo renuit, uti aliorum cellas subierat, sed se vero eum vultu intuita est, eo quod hostem suum, ut aiebat, affervaret. Hostis ille erat libellus Hæreticus, in scio Cyriaco domû sua servatus. Hunc ille ocyus expulit; favore deû Mariano excreatus. Talem Maria hostem si nutrus, ejice: Maria ad te non divertet, nisi ejeceris.

19. Berchmannus singulari devotione ferebatur erga S. Josephum, affirmans: Nihil se unquam a magno hoc Sancto flagitasse, cujus compos factus non fuerit. *Ex vita.* Imitare. Elige magnum hunc Sanctum in Patronum tuum, & frequentissimè invoca. Ut autem intercessionem ejus facilius tibi impetres, stude æmulari virtutes S. Josephi. Primariæ erant: Amor erga Jesum & Mariam, Castitas illibata. Ultimam etiam vitæ horulam ei commenda. Patronus morientium est, inter Jesu & Mariæ brachia mortuus.

20. S. Thomas Aquinas à propudiosa fœmina ad scelus incitatus, his Deum & B. Virginem vocibus alloquitur: Ne sinas quæso Domine Jesu, & tu sanctissima Christi Mater & Virgo, ut tam immani scelere me obstringam. Factâ hac oratione, titionem è foco arripit, impuram cubiculo ejicit, clauso dein ostio gratias Deo agit
pro

Propheta
Angelus
quomodo
tione om
Ex vita
omnitem
jice ab te
irritus
1. S. C. S.
mansuet
sape noct
Ezechiel
alioz per
nem, stud
hoc hie ill
vini
labores m
molestias
Magnus D
let.
11. Bari
fuerat offe
rumpet per
nis gratia
rum am
dam sp
viter form
Virgo, ut
21. B.
gratissim
nuntiata

pro victoria. Placuit Deo generosus animus :
 Angelos misit, qui invictum pugilem cingulo
 quodam sacro munirent, perfectamque à tenta-
 tione omni lasciva immunitatem largirentur.
Ex vita. Imitare. Jesus & Maria sint tuum in
 omni tentatione refugium. Animo heroico re-
 jice abs te omnem illam, à quo ad Dei offensam
 invitaris.

21. S. Casimirus mortificationis admodum a-
 mans fuit. Sæpe nudâ humo usus est lecti loco :
 sæpe noctu de hyeme nudis pedib⁹ obire solebat
 Ecclesias : cilicium horridum sub purpura ferè
 assidue portabat. *Ex vita.* Horres mortificatio-
 nem, studiose? Cælum horres; neque enim
 hoc sine illa obtineri potest. In levibus incipe
 vim tibi inferre: patere frigus leve in templo,
 labores in studiis, varias quotidie occurrentes
 molestias læto animo tolera. Etiam levia ista
 Magnus Deus magnâ mercede remunerare so-
 let.

22. Bariensis Sodalis alteri, à quo gravissimè
 fuerat offensus, ajebat: Ne timeas: nihil inter-
 rumpet amicitiam nostram, quam in B. Virgi-
 nis gratiam spero æternam fore: quin imposte-
 rum amiciores erimus. *Ann. S. 7.* Cave vindi-
 ctam spires, aut averfationem ostendas, dum le-
 viter fortasse ab altero offenderis. Meretur B.
 Virgo, ut tantillum ejus amore feras.

23. B. Aloysius S. J. volens rem B. Virgini
 gratissimam facere, adhuc Novennis Festo An-
 nuntiatae Virginis eidem vovet castitatem per-

petuam. Idem fecit Michaël Ayatumus anno ætatis decimo tertio. Uterque hoc consecutus, ut omni turpiore motu, quoad viverent, essent immunes. *Ex vita.* Imminet festum idem magnæ Virginis, Quam tu ei rem gratam facies? Purissima Virgo est: Puritatem amat. Hoc saltem age: Propone firmiter fugere minimum quodvis periculum castitatis vel perdendæ, vel etiam lædendæ. Tale periculum est in consortiis suspectis, in sermonibus, in cibo & potu immodico.

24. Berchmannus diebus sabbathinis & in pervigiliis B. Virginis jejunio rigidissimo coluit purissimam Virginem. Idem fecit Ayatumus: idem innumeri magnæ Virginis cultores. *Ex vita.* Est hodie pervigilium B. Virgiris. An amor tantæ Matris tantum à te non impetret, ut jejunium aliquod hodie suscipias, aut saltem cibo aliquo grato abstineas. Statue quid agas.

Juvenis blandâ alterius familiaritate à studiis ad otium, ab hoc ad scelera varia, maximè ad lascivias deductus fuerat. Sape errorem turpissimum deflevit; sape manus B. Virgini sacratas infami tactu non ulterius contaminare statuit: sed re lapsus semper, semper reversus ad vomitum. Intentat Confessarius ulsionem Divinam inconstanti; minatur Tartara, frustra erat. Fuit, cum urgente tentatione denuò scelus repetere statuit. Ergo ad conclave aliud se confert, ut solus rem det standam faceret. Cum ecce tibi! Monstrum diabolicum ibi reperit, quod furore summo juvenem aggreditur, fasciam è tibialibus repenti sol-
vis,

vit, eam ipsius collo alligat, & è quadam conclaris
 trabe suspenso gulam stringit, sirangulatque licitor Tar-
 tareus. Rem totam demon ex Energumeno retulit,
 addens; quod Angelus Custos diuturna clientis incon-
 stantia indignatus potestatem dederit demoni. eò rapi-
 endi miserum, quo rari pridem debuerat. Pexenf.
 Ecce abominandi sceleris, ecce inconstantia poenam.
 Ab expavesce! time, ne & Tutelariv tuustua fati-
 gatus impietate te deserat. Horre scelus omne casti-
 tati maximè contrarium. Fortè primum, quod aude-
 bis, ultimum erit. Paratus jam jam adest licitor
 Tartareus, ad nutum Divina justitia gulam tibi eli-
 furus. Si minus intelligis, qua dixi; cave inquiras
 curiosè. Ora Deum, ne intelligas ea, quorum scientia
 innumeris aternam obfuit. Peccatoribus hic loquor,
 & eheu! nimum ea scientibus.

25. B. Aloysius S. J. adhuc parvulus in singu-
 lis scalæ gradibus, scalam cœli, B. Virginem salu-
 turabat verbis illis, quibus hodie per Angelum
 salutata est: Ave Maria. Ex vita. Studiose,
 dies hodierna est illa quâ B. Virgo facta est non
 tantum Mater Dei, sed & hominum, & tua Ma-
 ter. Congruum est, ut singulari eam obsequio,
 filiali affectu venereris. Formulam Sodalitatis,
 quâ potes devotione, renova. Et quid si Aloy-
 sium hodie ad litteram imitareris? quid si as-
 cendendo aut descendendo per gradus Virginem
 sanctissimam verbis Angelicis salutare? quid si
 per Octavam totam? Aude aliquid amore Vir-
 ginis. Mater tua est.

26. Parmæ Sodaliv quidam ut se vinceret, sa-
 niern

niem ex ægri ulcere scaturientem generosè exugebat, novus in ætate tenera Xaverius. *Ann. S. J.* Ridet Mundus hanc, ut arbitratur, stultitiam; sed erit, cum videns hunc sodalem inter Beatos alios, dicet: Ecce hi sunt, quos habuimus in derisum: existimabamus, quod vita illorum esset infania: & ecce computati sunt inter filios Dei. Sed quis erat, qui generosè ad eò se vicit? Sodalilis erat. Nomen idem habes. Quomodo factum imitaris? qua in re te vinces hodie? Examina, quid grave hodie tibi vel molestum possit accidere, & amore Dei tui in eo te vincere propone.

27. S. Malachias sanctè educatus dum occurrentia in sæculo salutis pericula agnoscere cœpit, cœpit & fugam adornare, inquiens - Meus ex Deo est spiritus: Dei beneficio vivit adhuc in me innocentia vitæ, continentia decus, justitia fames. Sed nihil horum mihi tutum est sub principe mundi. Fugiam ergo, ut salvem animam meam. *Ex vita.* Sic est: secura non est in sæculo innocentia: salus innumeris est exposita periculis. Si Divina bonitas inde evocare te dignabitur, latus sequere.

28. S. Martinianus adhuc adolescens eremum petierat, ut securius salutem suam operaretur. Exactis aliquot annis ad grave flagitium à personato diabolo incitatus, cum parum jam à consensu abesset, sese recolligens ignem accendit; huic manus, huic alia membra inserit, dicens; Martiniane, si ferre hunc ignem potes, pecca

pecca audacter : si minus ; cave , quia gravius
 imminet infernale incendium. *Vite PP.* Est
 sanè hoc remedium , quod omnem peccandi
 voluptatem extinguere in te potest. Accede
 quæso subinde fornacem succensam ; ignem
 considera ; delibera , an peccare velis , & æter-
 norum ignium periculo te exponere. Ferre si
 non potes ignem hunc , quomodo peccare po-
 tes ?

29. B. Aloysius crucis Christi memor, tenel-
 lus adhuc adolescens a serculo sæpissimè de
 nocte incubuit. Moriens iussus , ut caput rege-
 ret , respondit : At Jesus meus recto capite
 mortuus non fuit. *Ex vita.* Ita quem vivens
 est imitatus , moriens quoque voluit imitari.
 Quæ tibi Christum imirandi cura ? O quàm
 dissimilis vita tua est vitæ Christi ? Tacet Jesus
 inter opprobria & calumnias : tace & tu inter
 leviora. Patitur Jesus & moritur pro salute no-
 strâ. pro peccato extirpando : age & tu aliquid
 pro tua salute , peccato fortiter resiste.

30. Ingolstadiensis sodalis videns varias à
 Piepola quodam merces vendi , & inter eas eti-
 am imagines turpes & cantilenas , corrogatâ
 pecuniâ omnes eas emit , & in flammæ con-
 jecit ; ut hac ratione plurima peccata impediret
 Novit fortasse. quod deinde dæmon ex obsessio
 aliquo factus est , cantilenas tales plures ab ipso
 dæmone compositas esse , aut dictatas alteri ,
 ut plurimarum esset ruina animarum. *Sod. Parib.*
Si Deum amas , non tibi solum attende : stude

& aliorum peccata impedire, si potes : potes autem sæpissimè. Non moneo, imaginem & cantilenam minus pudicam ne foveas ; procul enim te ab his dæmonum illicitis abesse credo.

31. Bartholomæus Vergara ab annis primis virtutis cultor eximius fuit. Ferebatur in beatam Virginem devotione quadam præcipuâ. Morbo gravi correptus devotionis hujus præmium tulit. Pridie S. Michaëlis Pater ejus præter morem de nocte surgens audit gementem filium, videt sedentem in lecto ; Rogat ille, quomodo se habeat? tum filius : Moriar, Pater mi : Dei Genitrix mihi adfuit, atque ut æternitati me accingerem, monuit : fac ocyus adesse Confessarium meum. Dicente verò Patre, cras id fieri posse, nec debere Confessarium nocte intempestâ evocari, negavit Bartholomæus die altero tempus fore. Ergo eâ adhuc nocte Sacramentis omnibus munitur, præsentibus Angelis duobus, & necessaria omnia adornantibus : inde B. Virginis iconem complexus quietissimè expiravit. *Sod. Parth* Sollicita est sancta Mater pro filiis suis. Tu filium te proba tantæ Matris ; & morienti tibi non deerit.

Juvenis quidam Parisiis diu in voluptatum cœno se circumvolverat. Finem facturum impietati Judex iustus lecto juvenem affigit, morbo fatali eum ad æternitatem evocat. Versabatur ob oculos impii pernicitatis, qua imminebat, aterna. Quapropter peccata

omnia

omnia sincerè confessus. Sacramentis supremis muniti
 ri petiit: his munitus obiit. Jam funus ei paraba-
 tur ab amicis solenne; cum amicorum suorum ali-
 cui permittente ita ad aliorum terrorem Deo, appa-
 ret infelix, aternisque se tormentis adjudicatum fa-
 tetur eâ de causâ, quod serius dolor & propositum
 in Confessione desuerint: Videbam enim, inquiebat,
 me, si convalescerem, donuo ad ejurata peccata re-
 diturum, neque ab his animum satis avertere labo-
 ravi. Spec. exemp. Timeo ne plures hâc de causâ
 pati aeternum cogantur inter inferos. Serius dolor,
 Studiose, serium requiritur propositum. Dolorem ore-
 tenus tantùm exprimere satis non est. Quales fuere
 Confessiones tua? qualis dolor? res digna, quam
 examines. Time salutem tuam. & majorem posthac cu-
 ram doloris & propositi gere; ne inde tuam
 aliquando sentias damnationem auereri,
 unde salutem obtinere
 potuisses.



Anni sancti Mensis quartus
 Aprilis.

1. **B.** Aloysius tria præ cæteris Juventuti teneræ commendanda esse censuit in amorem Castitatis. 2. Cultum B. Virginis. 3. Reverentiam & devotionem erga Ss. Eucharistiam. Singularia cujuslibet documenta dedit Juvenis Angelicus. Castitatem servavit illæsam: Mariam coluit ut Matrem: Ss. Eucharisticam stupendâ quadam reverentiâ prosequabatur. *Ex vita.* Imitare: Tria hæc tibi curæ & cordi sint. Examina, in quo emendatione opus sit.

2. Joannes Berchmannus integerrimus ille adolescens morti proximus, tribus maximè rebus se delectari aiebat. 1. Quod in Castitatem peccaverit nihil. 2. Quod nullum deliberatum veniale admiserit; nec consueta pietatis exercitia omiserit. 3. Quod totum se Superiori aperuerit, regendumque commiserit. *Ex vita.* O ingens moribundo tibi solatium, si eodem modo verè gloriari possis, & dicere: Castitas mea illæsa est: peccatum studui fugere: nunquam preces meas, nunquam sacra Mysteria neglexi: nihil non Confessario meo patefeci. In manu tua est, hoc tibi solatium procurare. Saltem ex nunc sic vivere statue, ut horum recordatio te in hora mortis consoletur.

3. Germa-

3. Germanus quidam adolescens impius æstivo tempore sese recreaturus in campos exi-
 verat. Post confectum breve iter somno obrui-
 tur, hasque sibi allabi voces audit : Horrendum
 est incidere in manus Dei viventis. Hæc audi-
 ens toto animo territus ad B. Virginem, quam
 simul audire & coram intueri videbatur, con-
 fugit. Quod dum agit, adest vox hæc altera :
 Putasne quod ero similis tui? sudat ad hæc ju-
 venis, pallet, quo se convertat, ignorat : Re-
 vertitur ad Virginem, verum & hæc vultum a-
 vertere visa fuit. Evigilans interea monitum
 cœleste amplectitur, vitam priorem Confessio-
 ne expiat, novam eamque adeò sanctam exor-
 ditur, ut ab ipsa B. Virgine invisæ & instrui me-
 reretur. *Spec. Ex.* Disce timere; disce sperare.
 Time impendentem capiti vindictam. Hor-
 rendum est incidere in manus Dei viventis. Ti-
 me & B. Virginem, si à peccatis non desistas.
 Avertit illa vultum à peccatoribus se con-
 nendare nolentibus. Refugium peccatorum est, sed eo-
 rum, qui converti quærunt. Conversionem
 auspicare cum Juvene illo, & Patronam sen-
 ties Mariam.

4. Adolescens Eremita cum seniore recita-
 bat Officium. Septies somno obruebatur se-
 nior : septies abitum parabat junior, ut somno
 dare se posset : vicit se septies, nec nisi orato
 Officio recessit. Paulò post sedem in cœlo sep-
 tem coronis illustrem parari vidit Senior, quas
 Juniori ob totidem victorias de somno relatas

destinatas intelligit. *Ex vit. PP.* O quot tibi mense uno invides victorias, si in surgendo te vincere recusas. Nullam inertia tua coronam parat dæmon; parat Deus victoria tua. Berchmannus dato ad surgendum signo vocari se à Deo credebat, & illico lecto se proripiens dicebat: Domine, quid me vis facere? Vocat & te Deus per regulas scholasticas aut Marianas, cur obsequi tardas? cur primitias diei dæmoni sacrificas? Rides jam ad ista, tanquam levia aut scrupuli essent; sed timeo ne aliud sit tuum in morte iudicium. Religioso alicui moribundo dæmon horam unam objecit, quam licet sanus otioso somno perdidit. Tibi quot quæso horas objiciet? Statue generosè te hac in vincere.

5. B. Aloysius vocationem agniturus hæc egit. 1. Puritati vitæ magis ac unquam antè studebat, ut tantò facilius gratiam à Deo obtineret. 2. Septimanis singulis devotione maximâ S. Eucharistiam suscipiebat. 3. Libros spirituales & Confessarium consulebat. 4. Opem B. Virginis enixè implorabat, à qua etiam festo Assumptionis ante altare ejusdem orans, ad Societatem JESU perceptibili voce vocari meritus est. *Ex vita.* Imitare: Si necdum deliberasti, age eadem: Res momenti maximi est vocatio. Si quod in te est, agis, Deus non deserit. Si verò jam deliberatum est, constantiam postula, & gratiam id implendi, quod è salute tua est.

6. S. Hermannus, jubente B. Virgine, Joseph dictus ob mores longè castissimos, præter virtutes alias hanc habuit, quod toto vitæ tempore mendacium nullum, nullum sermonem minus honestum protulerit. *Ex vita.* Rara laus, sacratam Deo & B. Virgini linguam rebus ejusmodi non inquinare. Non miror favores speciales, quibus à B. Virgine donabatur. Vis & tibi esse propitiam Virginem? ecce modum hoc obrinendi: Custodi linguam; cave à mendaciis; à verbis indecoris.

Juvenis erat. qui abominando cuidam sceleri ditotum se dederat. Demum agnitâ ejus turpitudine, aterna damnationis periculo territus, Confessionem generalem peragit. Ocho dies sine peccato consueto exigit. Inâe plateam invisit ubi scelerum confors habitabat; Qua visum adolescentem suaviter invitans ait: Ego illa sum: non salutabis me? veni, loquemur tantum: exhibis sine peccato. Juvenis primum voces illas reponit: Ego non sum ille; sed victus tandem domum subit, concepto prius firmo non peccandi proposito paulatim verò fallacibus inductus blanditiis statuit peccatum repetere: Surgit è loco in quo haeserat, peccatum parat: Ecce! momento eodem terra infernè aperta miserimum absorbet. Audita sunt mox voces hæ: Maledicta hora, quâ te nosse ceppi! propter te aeternum perii. Ottonelli. Exparvesce! non luditur in caelo Deus. Quid inconstantiam in sanctè propositus. Disce peccandi occasiones devitare. O ut tu maledices hora illi, qua nosse ceppisti eos, per quos te abduci à pietate

iam advertis nisi nunc nefando consortio maledicas. Time locum, time personam illam accedere. Ita propositus tuis. Ulter sequitur à tergo Deus.

7. Monachienſis Sodalis Confessionem paraturus enixè obteſtatur eſt B. Virginem, hanc ſibi ut à Deo impetraret gratiam, quâ illustratus peccata omnia ritè agnoſceret & confiteretur. Oranti cadens è ſublīmi ſcedula apparet, in qua occultum aliquod peccatum notatum erat: hoc jubebatur cum cæteris confiteri, & pœnitentiam de eo agere. Patuit prodigium etiam ex eo, quod nullus præter juvenem illum legere potuerit peccatum in ſcedula illa exaratum. *Ann. S. 7. Imitare.* Confessionem paraturus ſolicitè invoca Virginem Matrem: adhibe diligentiam, ne peccatum ullum omitatur: majorem adhibe circa dolorem de peccatis. Licet peccata leviffima afferas in confessione, dolor tamen ſerius adfit neceſſè eſt. Hinc tragicum illud narratur de juvene, qui damnatum ſe æternum fuiſſe, apprens amīco ſuo dixit; eò quod venialia tantum peccata confitens non multum de dolore fuerit ſolicitus. O ſtudioſe, diſce, Confessiones ſingulas tanquam res momenti maximi tractare: nunquam eas niſi præmiſſâ debitâ præparatione perage; alias Remedium noſtrum fiet Diabolo triumphus, ut ait S. Ambroſ. Horrendum eſt, quod S. Theresia dixit, nullâ aliâ occaſione plures damnari homines, quàm confessionibus perperam factis. Tu cu-

ram rei hujus posthac habe tantam, quantam salutis tuæ.

8. B. Stanislaus quàm rarum Innocentiæ, tam inauditum Pœnitentiæ exemplar extitit. Grave peccatum admisit nullum: pœnitenti- am tamen eam egit, quàm à peccatore maxi- mo vix expectares. Cilicia, flagella, jejunia, lecti asperitas quotidianæ ei deliciae videban- tur. Lacrymarum materia fuerunt sex men- ses, quibus Vocationem suam tacuerat. *Ea Vita* si hoc justus & innocens agit, quid mihi, quid tibi agendum? perit fortè, prò dolor! innocentia nostra! pœnitentia ubi est? Jun- gamus lacrymas: peccata præterita deplora- mus: contritionem sæpissimè eliciamus: mortificationes amplecti non dubitemus. Grave tibi nomen mortificatio? gravius erit; discedire à me maledicti.

9. Genus Sodalis gravi affectus injuriâ primo æstu ultionem parabat: mox sanctiore cogitatione retractustemplum subit, crucifixo advolvitur, ejus amore hanc injuriam patienter ferre proponit. Alius lapides, quibus pe- titus per injuriam fuerat, ad crucifixi pedes deposuit. Alius inimico ante mortem advoca- to condonat injuriam per vulnus lethale infli- ctam, dicens, velle se imitari morientem sal- vatorem suam. *Sod. Parth.* Quæ & quanta victoria! quid tu amore Crucifixi Jesu?

10. S. Hermenegildus Regno potius terre- no se cessurum esse affirmabat, quàm fidem

per-

perderet, uti re ipsâ fecit. Daniel stylita à vita Sanctiore avocatus ait: Potius moriar, quam retrorsum avertar. Alius Anonymus ad peccatum tentatus: si vel Tartara aperta viderem, insilire mallet, quàm peccare. *Spec. Fur.* Ille Regnum, iste vitam, tertius & cœlum mavult perdere, quàm Dei gratiam, fidem, constantiam in bono. Quanti tu ista æstimas? quàm levis res est, quæ te à constantia avocat; ob quam Dei gratiam perdis! voluptas brevis, aut commoditas est, aut Solatiolum è consortio, lusu &c. speratum. Pudeat stultæ aded commutationis & mercaturæ.

11. S. Evergeisilus, postea Episcopus, nunquam repertus est de die nisi aut legens, aut orans, aut alio modo laborans. S. Ludgerus lusus pueriles ut pestem vitabat; aliis ludendo se recreantibus librosolvebat; aut precibus vacabat. Idem Berchmannus egit, addens: nullam rem æque vitare debeo ac otium, tristitiam, familiaritates. *Ex Vita.* Imitare. Fuge orium. Pulvinar diaboli est. O quàm Deorationem dare cogetur studiosus de tot horis, quas indies otiosè consumit! de lusibus quid sentis? pestem vocabat S. Ludgerus, & innumerorum originem malorum. — *Experientia* veritatem testatur. Lusibus vestitis cave assuecas; rues in peccata gravissima.

12. Tolosæ in Gallia Juvenis ex frequentî impiorum congressu mores induit longè terribilissimos,

terrimos, aded ut & ipse de Dei unius existenti-
 tia dubitare non horruerit. Exinde in scelera
 horribilissima lapsus est. Adultâ ætate in
 campum progreditur, deponit pileum, chla-
 mydem exuit, stringit gladium, quasi singula-
 ri certamine hostem petiturus. Facinus au-
 det, quod commemorari absque horrore non
 potest. Deum ipsum linguâ nefandâ ad pug-
 nam provocat; cum hoc, si quis in cœlo sit,
 congregi statuit. Horret calamus blasphem-
 as recensere voces. Fulmina expectâsses aut
 aperta tartara, aut si quid his terrificum magis.
 Alia omnia. Labitur è cœlo scedula, in qua
 exarata hæ voces erant: Miserere mei Deus!
 legit Scripturam impius, & illico in alium mu-
 tatus intimis se præcordiis ad agnoscendum
 Deum placandumque moveri sensit: exoscu-
 latur millies litteras, ponit genua, funditur in
 lacrymas, solvitur ingemitus, ingeminans u-
 num illud. Peccavi: Miserere Deus! Sic no-
 ctam totam exegit: Inde vitam impiam ex-
 pians, sanctam inchoavit; nullam abire ho-
 ram passus, quâ non infinitam Dei in se boni-
 tatem extolleret. *Pexen*: verè ubi abundavit
 delictum, superabundavit & gratia. Miseri-
 cordia infinita quem non ad pœnitentiam ex-
 citet! non defuere fulmina, quibus impieta-
 tem tuam mulcicaret Deus, misericordia prohi-
 buit. Huic laudes cane: huic gratias age:
 huic vitam, quam adhuc vivis, totam debes.

Po-

Poterisne infinitam hanc Dei in te bonitatem posthac etiam offendere ?

Nostrâ atate in urbe quadam Germania ad locum supplicii eductus fuit Adolescens octodecim circiter annos natus. Assueverat is jam à Syntaxi peccato probrosissimo, quo ut securius frueretur, alium rei conscium trucidavit: eò scilicet infelix paulatim delapsus fuerat. Memorabiles erant voces, quibus suam deplorabat miseriam, dum templum Societatis prateribat; paulo post carnificis manu occidendus: O S. Ignati, clamabat! O quam fidelia mihi quam frequentia per tuos dedisti monita! O utinam iis obtemperassem! ah iam saltem ne me deseras. Ann. S. J. Casus tragicus totius urbis luctu & lacrymis spectatus. Sed eò res delabitur, dum contemnuntur monita; dum adharetur pravo consortio. Studiose letetor, obsequere tot illis, qua iam dantur, monitis: fuge consortia; ne sero nimis se non in hac, certe in altera vita cecitatem d. fleas.

13. Berchmannus hoc fecit indiesque renovavit propositum: Etiam parva magni faciam: etiam pro parvis defectibus magnas mihi pœnitentias injungam. *Ex Vita.* Idem tu statue. Qui spernit modica, paulatim decidet. Noli dicere: leve est otium: leve quid somnus superfluus: leve quid irreverentia in templo. Leve quid fuit è quo æterna salus S. Theresiæ pendeat. Leve illud nisi cavisset, periisset.

14. Aloysius adhuc quinquennis inter milites versari coactus varios audiit sermones liberiores, & ignarus eos didicit. Semel ideo à

Mo-

Moderat...
maliam elocut...
vix tempore ne...
victus est...
pœnitentiam...
copus, quem...
flexis genibus...
monitione ager...
no Imperatorum...
expletes, Nol...
nas, seu pan...
dali, qui post...
patens gratias...
bitus fuit, a...
nationis ab...
13. S. Sa...
copus, Tim...
abscondere...
Dei gloriam...
pendere poss...
hæc tibi tale...
eriget Deus...
dere tunc ea...
charitativum...
vius est Pe...
ne, quid m...
no voces...
hæc sunt: P...
16. An...
conciliatio...
obligat:

Moderatore reprehensus, & sermonum illorum malitiam edoctus, horruit innocens, & toto vitæ tempore ne vel verbulum simile repetere auditus est; præterquam quod terribilem ideo pœnitentiam in se suscepit. Idem erroris alicujus, quem tamen non admiserat, monitus flexis genibus deprecabatur, gratiasque pro monitione agebat. *Ex Vita.* O si pari animo superiorum monita exciperes, pari studio expleres! Noli ægrè ferre seu monita, seu minas, seu pœnas. Tuo bono sunt. Legi de Sodali, qui post mortem superiori antea suo apprensens gratias eidem habuit, quod severius habitus fuisset, addens: se hac ratione à via damnationis abductum fuisse.

15. S. Stanislaus, postea Crocoviensis Episcopus, Timeo, aiebat, concessa mihi talenta abscondere; statum illum eligam, in quo ea ad Dei gloriam multamque aliorum salutem impendere possim. *Ex Vita.* Non absque causa hæc tibi talenta Deus concessit. Rationem exiget Deus: vide ubi aut quomodo impendere tutò eadem possis: indies Christum Eucharisticum alloquere verbis S. Pauli, quibus usus est Perusinus quidam deliberans: Domine, quid me vis facere? Audiit iste has in animo voces: Permite te dirigi. Et tibi dictæ hæc sunt: Permite te dirigi.

16. Anonymus Sodalis Dei matrem sibi conciliaturus ante aram ejus Voto Castitatis se obligat: dein venam aperit, profluente eruore
for-

formulam voti sui exarat, eamque in Lipsano-
theca, seu sui in Mariam amoris monumen-
tum conservat. *Lechn.* Admirare amoris Ma-
riani ingenium; non imitare, nisi in hoc sal-
tem, ut statuas rem B. Virgini maximè gra-
tam, castitatem scilicet ejus amore illibatam
conservare.

17. In Aragonia Sodalis domum impiam
ingressus, ut peccaret, vidit in angulo effigiem
B. Virginis: subitò peccandi voluptatem per-
dit & ad fœminam conversus: Quomodo,
ait, audes ô propudiosa coram tam pura Virgi-
ne tam impura flagitia perpetrare? dixit neque
ullis blanditiis ad scelus moveri se passus est.
Sod. Parth. Tantum valuit unus unius imagi-
nis intuitus. Intueri tu toties potes B. Virgi-
nis effigiem, neque inde ad fugienda peccata
incitati? eâ etiam inspectante audes proposita
violare? loqui turpia? otiosi &c. quo aliquan-
do eam oculo intueberis? Cogita quæso: B.
Virgo hæc videt; non audeo.

18. S. Hermannus dum alii ludo aut vani-
tatis aliis se recreant, ad templum abiit B.
Virginis aræ advolutus preces persolvit. Pla-
cuit hoc ad eam Virgini pretiosæ, ut Herman-
num sæpe ad lulum cum divino suo filiolo in-
vitare, ejus paupertatem oblatâ semper pecu-
niâ levare voluerit. *Ex Vita.* Rari favores ini-
tium sumpsere ex una mortificatione, quâ re-
creationi se subduxit, tempus illud precibus
dedit. O quos tibi favores Virgo eadem exhi-
beret,

beret, si pari animo otium, & confortia suspetta fugeres; ad studia, ad pietatem te conferres. Imitare.

Juvenis quidam amore alea & ludi insaniens, vespere quodam ortu inter socios late, aiebat pejerans, invadat me demon, nisi res ista se habeat. Mox cubiculum totum intremuit, & tetra umbra ante oculos sociorum oberrans circum parietes apparuit. Metu prope exanimis in terram cadit juvenis noster. Ad se rediens B. Virginem invocat, vota varia concipit. Nihilominus tetra effigies per cubiculum volitabat; cui crucifixi effigiem & sanctissima nomina apposuere omnes: fugam arripere non poterant. Ergo sic timore & pavore trepidi in lucem usque pugnant; tum enim audito Angelica salutatio- nis signo fatalis umbra evanuit Attonitos omnes & prope exangues relinquens. Bonif. Non semper vana sunt pejerantium voces: Cave eas; hinc & lusus vetitos cave, quibus annexa semper scelerum multorum, precipue blasphemiarum, perjuriorum, mendaciorum catena. Hoc etiam observa: si larva unius stygia umbra tanto audacissimos illos implevit terrore, o quis sustinere poterit innumeras in styge terribiles visu formas! illa illa scilicet societas excipiet societatem pravam, cui juvenes plurimi sunt impliciti. Monstra stygia si habere in socios heredes, horre suspecta consortia.

19. Ingolstadiensis mortificandi sui cupidus cum cilicium non inppeteret urticas & spinas ejus loco adhibet. Neapolitanus, uti & ante annos paucos Moguntinus, non nisi Cili-
cio

cio inductus mori voluit. Antverpiensis Xaverianum factum æmulaturus, lumbos arctè funibus constrinxit. *Sod. Parth.* Ubique & semper in Sodalibus ardor sese mortificandi extitit. An & in te? an delicatula natura horret? Regnum cœlorum vim patitur: violenti rapiunt illud, non delicatuli. Cilicia, flagella, jejunia arma sunt, quibus defenditur castitas, expugnatur cœlum. Quid ages deinceps?

20. S. Gregorius Nazianzenus ne jurandi consuetudinem contraheret, firmissimam sibi nunquam jurandi legem sanxit, voto etiam firmavit: observavit. *Ex Vita.* Modus extirpandi consuetudinem est, votum devotionale facere ad breve saltem tempus. Utere hoc, si serium tibi est te emendare; non tamen nisi de Confessarii consilio.

21. Moguntinus Sodalis erat, qui vesperi de more conscientiam examinans, & admissa per diem peccata detestans aiebat: ô Deus, pro- vides fore tempus, quo te Deum meum vel semel adhuc offensurus sum; potius jam me permitte mori in gratia tua, quam ut infelix illud tempus vivendo attingam. Rarum habere visus est Deus hoc piissimi juvenis desiderium: Pauculas post hebdomadas piissimè moritur innocens. *Ann. S. 7.* Vitam minoris ducere ac peccatum; mori malle quàm peccare signum veri amoris est. Quanti tu peccatum facis? an paratus es mori potius? verbo dicis fortassis; sed non facto. Si serium tibi est,

cur

cur non fugis consuetudines illas ; otium illud
detur.

22. S. Joannes Damascenus jussu Tyranni
dexteram manum in defendendis imaginibus
occupatam amiserat : sed eandem amputatam
dum B. Virgini, coram cujus statua orabat, ex-
hibet, mirabiliter recipit sanam & incolumem:
Quo motus prodigio majore fervore Dei, &
B. Virginis cultum promovit. *Ex Vita.* Amat
B. Virgo eos & prodigiosè etiam protegit, qui
membra honori Mariano impendunt. Cui tu
manum tuam impendis ? an pietati an sceleri ?
taceo, quære conscientiam. Linguam cujus
honori donas ? pedes ? oculos ? examina te,
& à Maria si vis protegi, noli membris tuis
adeò probrosè abuti. Statue hodie emenda-
tionem.

23. Oenipontanus Sodalis Coetum Maria-
num more suo accessurus à sociis aliàs amicis
avocatur. Negat, ut par erat, hoc se facturum.
Minantur illi, nisi obsequeretur, amici loco
non habendum esse ulterius : tum verò hic
dignam Sodali vocem hanc protulit : Ergo
tanto impensius Mariam colam, ut, si vos me
deseratis, illa me defendat. *Sod. Parth.* Quàm
vellem intelligerent hoc omnes & imitarentur !
Imitare tu ; desere, contemne amicitiam ho-
minum si hæc haberi non potest aut conservari,
nisi offendatur Deus, deleatur B. Virgo, aut
aliquid ex utriusque cultu minuatur. Dei,
B. Virginis amicitiam quære, adeundo sollicitè

D

coetus

cætus Marianos, fugiendo peccata, assistendo
sacris &c. Unius Virginis amicitia plus tibi, ac
universi mundi favor proderit.

24. Adolescens Machabæus alter è septem
illis, de quibus scriptura habet, ad legem Dei
violandam invitatus, propositis licet tormentis
terrificis tenuit inquam Antiocho: Rex mun-
di (Deus) defunctos nos pro suis legibus in
æternæ vitæ resurrectione suscitabit. *Ex L.
Mach.* Constantiam hanc futuræ mercedis
memoria impetravit. Et tibi mercedem can-
dem concedet Deus. Constans itaque esto in
propositis.

Adolescens sanctiorem vitam acturus cœnobium
intraverat. Accidit, ut cuculum crebrius extra
collam suam cantantem audiret. Vices interrupta
vocis memorat viginti duas; ex his totidem se an-
nis victurum adhuc esse stultissimè auguratus! oja
inquirebat: cur tanto mo tempore mortificem? Vi-
ginti annos deliciis dabo; duos postremos Deo & po-
nitentia dicit, & saculum repetiit, nullo non delicia-
rum vetitarum genere fruisurus. Verum ò fallaces
impiorum spes? Annos duos necdum exploraverat, &
iusto Dei iudicio in ipsis, quibus fruebatur deliciis,
morte repentinâ rapitur ad aternitatem infelicem.
Pexenf. Vade & longavos tibi annos pollicero;
emendationem differ. Studiosè forte & tu spo si-
mili lactaris; cur enim aliàs liberè adeo viveres?
mitte queso spem istam pessimam; qua iam inaxi-
mos deturbavit ad stygem. Spes ejus, ait scriptura
frustrabitur enim; & videntibus cunctis precipita-

bitur.

bitur. Multos tibi annos spondes, & quis scit, an vel unus superstet, fac autem superesse & multos: an dignus non est Deus, cui mille etiam annis servias? Incerta est aetas futura, elige quod certum est; Jam vive bene; jam emendationem auspica-re. Fortis licet & vegetus sis; nulla satis magna securitas, ubi periclitatur aeternitas.

25. Petrus de Morono saepe sic matrem suam allocutus est: bonus Dei servus esse cupio. Saepe B. Virginis statuæ adhuc puerulus advolvitur; saepe Angelos habuit instructores: si quid puerili more cum sociis peccaverat, ab iisdem Angelis suaviter correptus procul ab errore illo repetendo abfuit. Ut pericula peccandi fugeret, eremum petiit: tentationes castitati adversas ciliciis & jejuniis oppressit; ideòque ab Angelis frequenter alloquio & cibis recreatus. *Spec. Jurv.* Innocentia, amor castitatis, odium peccati B. Virginem & Angelos tibi conciliant. His stude hodie præsertim.

26. Ingolstadii Sodalis æger Religionie votum concipit. Redditus mox sanitati implere tardat. Sub mensis initium in scedula Patroni Menstrui hæc ei obtingit sententia: Quid tardas ipsum, quem jam dudum conceperas spiritum parturire salutis? quomodo vivere audes, ubi mori non audes? sibi hoc dictum ratus votum implet, Religionem ingreditur. *Rosignol.* Imitare in hoc, quæ tibi obtingit sententia, divino obtingit consilio. *Eam imple. Displicet Deo tardare in implen-*

dis propositis. Quare etiam ex te, an mori in statu hoc velis? si non? quomodo in eo vive-re audes?

27. Delinganus Sodalis ad comedendas die prohibito carnes invitatus, memor divinæ legis fortiter renuit. Dicenti verò alteri, rem parvam esse, respondit: nec sanè pomum grande fuit, ob cuius esum primì parentes paradiso expulsi sunt. *Zechm.* Nihil scilicet leve censuit contemnendum, cum è levi etiam sæpe gravissima oriantur. Cave, cave unquam inducas in animum leve quid esse, quod à Deo prohibitum est. Ad interitum recta tendis si levia contempnas.

28. Josaphat Regis Indorum filius gravissimè contra Castitatem tentatus, antequam consentiret, deliberabundus hæsit: ad orationem confugit: mox sopore opprimitur: ob-jicitur ei in somno è parte una hortus amœnissimus omni deliciarum genere plenus; ex altera barathrum infernale: experrectus omnem turpitudinis voluptatem advertit extinctam. *Damasfc.* Infernus in somno repræsentatus adolescentem hunc à peccandi proposito maximè absterruit; ferro durior es, si iste te non movet. Utut vehemens sit tentatio ad peccatum quodvis, cogita tartara certò subeunda: & peccati voluptas evanescet. Time tartara!

29. In Hispania juvenis vitam omnibus sceleribus contaminatam vixerat: eò impie-tatis delapsus, ut id studiosè ageret, quod

Deo

Deo maximè displiceret. Nullam ille cogitationem de vita in melius mutanda suscipere, nullum sustinere monitorem, nullam cœli aut inferorum mentionem ferre. Toto impetu ruentem ad Tartara, Mater misericordiæ sustentabat, pauculis impii obsequiis (quotidianâ salutationis angelicæ recitatione) devincta; uti ipse postea fassus est, nihil à se aliud sanctum plûmque factum esse. Maria igitur de nocte quiescenti impio apparet, conjectisque in eum oculis admirabili modestiâ, & miseracionis affectu plenis iterum evanescit. Ex uno hoc oculorum perstrictu totam vitæ præteritæ rationem clarè adedò distinctèque perspexit, ut ex peccatis numero, & gravitate penè infinitis, ingentem & animo dolorem, & oculis fletum cieret! Confusionem & pudorem generosè vincens primo mane sacerdotem adit, peccata vitæ totius in ejus sinum & aures deponit, mirabile exinde solatium hauriens, vitam totam in laudanda Matris Virginis Deiæque optimi clementia consumpsit. *Ann. S. 7.*
 O illos suos misericordes oculos, & ad te convertat clemens, pia & dulcis Virgo Maria! roga, ut id faciat. Si jam fecit, gratias age; & matri clementissimæ totum te offer ut mancipium. Nullus abeat dies, quo eam invocare & honorare non fatagas.

o Adolphus adolescens in primo flore moriturus horrendas patiebatur in suprema illa hora angustias: ergo ad B. Virginem, quam in pîes antea coluerat, conversus, ferventissimè

ejus opem inclamat. Adfuit illa, & suavissimis verbis eum compellans aiebat. Adolphe quid times, mater tua sum. Cessit timor omnis, quietissime expirat. *Man. Sod.* O voces amabiles! Mater tua sum. Desideras eas aliquando audire mi studiose? esto jam Mariæ filius, & erit illa tibi mater. Filius honorat matrem, abstinere ab iis quæ displicent matri. Hoc fac: abstine ab illa consuetudine &c. Erit mater tua: Mortuus felix.

In Sicilia studiosus quidam nimis familiaritate versabatur cum quadam impia. Sæpe consuetudinem ejuravit; identidem ad locum ejuratum reversus. Sanguinem miserat die quodam infelix: domum scelerum consciam præterit: invitatur: intrat: peccat: dormit, & ecce præsentem Dei vindictam! solvitur in somno fascia, quæ vena fuerat obligata; erumpit cruor omnis, fugit anima à dormiente. Evigilavit miser inter Tartara. Invennem secuta est & puella, quæ viso tristi spectaculo ferrum sibi adegit per viscera, habitura in Tartaro socium tormentorum, quem habuerat & scelerum.
Ann. S. J. Non irridetur Deus. Tardat, tardat, quia clemens est, sed ferit terribiliter, quia iustus est. Pepercit tibi hætenus, mi studiose. Deus, ostendit misericordiam. Quis scit an non primum, quod admittes peccatum, futurum sit & ultimum. Num credis adolescentem illum seriè cogitasse, propinquum adeò sibi esse exitium? alia omnia cogitavit; sed quo minime credidit tempore, secutus ultor à tergo Deus detrusi eum ad Tartara. Te ne socium habeat, cave.



Anni Sancti Mensis Quintus Majus.

1. **J**oannes Berchmannus notæ innocentia
adolescens, sub cujusvis mensis initium
diem sibi elegit, quem totum sacræ Recolle-
ctioni dabat; examinans vitam elapso mense
actam; notans, quæ sequenti mense vitanda,
quæ agenda forent; quæ devotiones persolven-
dæ; renovans fervorem erga B. Virginem &
Sanctos. *Ex Vita.* Si ullum est salutis medi-
um, quod præter alia commendatum tibi cu-
pio, hoc certè est. Utere illo, fructus existet
ingens. An nimium est diem unicum mensis
Deo dare & animæ?

2. Idem piissimus adolescens duo sibi stu-
dioso spectanda esse assererat: primum, ut
proficeret in virtute; alterum ut in litteris.
In duo hæc toto animo incubuit. *Ex Vita.*
Imitare. Væ tibi, si relictis istis quæ nescio
alia moliaris. Quam Deo rationem dabis,
qui alia omnia spectas?

3. Anonymus Sodalis anno ætatis quinto
in scelus aliquod lapsus fuerat. In eo ad de-
cimam octavam usque hæsit infelix: emen-
dationis consilium omne abjecit. Suasit ei
interea sacerdos quidam, ut B. Virgini se in-
dies

dies commendaret. Fecit quo potuit affectu. Secuta est emendatio admirabilis. Falsus postea fuit sacerdoti, totum hoc se B. Virgini debere. Ex quo enim, aiebat, venerari B. Virginem cœpi, & medicinam pro consuetudine mea rogare, adverti homines illos, quorum consuetudine gaudebam & scelere, mei planè perturbatos. Consortio hoc liberatus facilè consuetudinem emendavi, peccata ritè confessus constans permansi. *Ann. S. 7.* Ecce emendari potest consuetudo, licet diuturna; modò adsit voluntas seria. Cole B. Virginem; eam roga, ut scelerum tuorum agnitionem impetret & horrorem: Orationi laborem junge & conatum. Hæc si negligis, quam aliquando excusationem offeres ad tribunal judicis?

4. S. Rupertus principum sanguine oriundus intelligens, quanta è pravo consortio damna orerentur, statuit B. Alexii exemplo domum paternam deserere, in qua necessariam cum aliquibus conversationem timebat. Placuit Deo servandæ cura innocentia. Contentus enim pio juvenis consilio maturâ & suavi morte tot periculis cum exemit, atque ad securitatem beatam evocavit. *Spec. Jurv.* In hoc imitare. Fuge consortium suspectum. Actum est de innocentia tua, si in hoc negligens es. O quæ audivisti! quæ locutus es! quæ didicisti aut fecisti, quorum ne cogitatio quidem à te fuisset habita, si à malo illo socio abfuisses. Sape damno tuo.

5. S. Franciscus Regis S. J. nunquam vel leviter in lubrica licet ætate prima mentitus fuit. Tanti autem mendacium leve æstimabat, ut cuidam Domino diceret : Domine, nec pro totius mundi bono oportet vel leviter mentiri. *Ex Vita.* Impetret utinam tibi sanctus iste tantum peccati hujus & cujusvis alterius horrorem ! O quantillum est sæpe, cujus gratiã non unum, sed plurima proferre audes mendacia. Et utinam non ut leve quid ea contemneres ! Alius Sanctorum sensus hac in re extitit. Imitare, & ex hodierno die novum concipe propositum mendacium etiam levissimum seridò fugiendi.

6. Septimus è Machabæis illis parvulis heroibus à matre animatus, ut cœlum respiceret, mercedem constantiæ cogitaret ; fortissimè tenuit obsequi Tyranno impio ad violandam Dei legem inducere volenti. Voces ejus erant : Non obedio præcepto Regis, sed præcepto legis, quæ data est nobis per Moysen : Tu verò (sic Antiochum allocutus est) qui inventor omnis malitiæ factus es, non effugies manum Dei... Nondum omnipotentis & omnia inspicientis Dei judicium effugisti. Pari animi magnitudine mortem obiit. *Ex L. Mach.* Constantiam discce, quã resistere debeas sociis ad peccatum te invitantibus, aut dæmoni tentanti. Verba ultima attende, quibus se parvulus Heros excitabat, memoriã

scilicet præsentis ubique, omnia videntis, omnia punientis Dei.

Studiosi duo magnâ inter se familiaritate conjuncti vivebant: quorum alter detractionibus mirum assuetus varias variorum nominibus maculas asperserat, quin eas delere denuo laboraret. Morbo fatali prostratus nullam pœnitentia mentionem fieri voluit, sed infelix nullo sacramento munitus à vita migravit. Paulo post socio suo apparens aeternum se damnatum esse asseruit, eoquod multa anima, quarum fama detraxerat, coram tribunali divino vindictam petierint & ultionem; quarum vocibus commotus divinus iudex aeterna tulerit damnationis sententiam. Flor. Exemp. Breve, sed revera tragicum exemplum. Time tam noxium, quam familiare vitium detractionis. Sed & intellige, quos aliquando accusatores habiturus sis coram tribunali divino. Anima illa, quas jam sive verbo sive exemplo ad peccatum inducere non exherrescis, ô quam vindictam à justo iudice petent! illa, illa erunt, qua adversum te insurgent, contra te clamabunt, te ad sphyem deposcent. Time, obsecro, dum vivis, time alium quovis modo scandalizare. Vox Dei est: sanguinem ejus de manu tua requiram. Res tremenda est, alium seducere.

7. S. Casimirus rarissimum virtutis omnis, quam in juvene desiderat Deus, exemplar duo habuit media, quibus impetravit, ut inter Regales delicias (sic Ecclesia loquitur) & mundi illecebras illæsus persisteret; constans nempe mortificationis studium; constantem

B. Vir.

B. Virginis cultum. Hanc indies manè colebat hymno illo à se composito : Omni die dic Mariæ &c. huic se commendabat indies. Hunc imitati iunt innumeri. Berchmannus indies formulam Marianam renovabat, ut & pium erga B. Virginem animum testaretur, & ejus præsidium in tentationibus exoraret. Oenipontanus quidam manè excitatus frontem signabat cruce, ne quid cogitaret nisi de Deo; labia, ne quid loquerentur, quo Deus offenderetur; pectus, ne amaret nisi Jesum & Mariam. *Ex Vita. & Ann. S. F.* Sic manè muniti Sancti & Pii juvenes in Arenam progrediuntur, feliciter cum dæmone pugnaturi; quia tanto confisi patrocinio. Imitate.

8. Fuldæ Anno 1608. Adolescens memorie parùm felicitis, suadente ita Magistro ad B. Virginem confugit, vota in ejus honorem varia concepit; & ecce breve intra tempus non sine aliorum stupore miram memoriæ felicitatem expertus est, & progressum in scientiis. Veldkirchensis quidam studiosus dum studia nil quidquam sibi è voto succedere advertit, pudore actus & desperatione in campum egreditur, dæmonem Orco evocaturus, ut ferret auxilium, quod aliunde non suppetere videbatur. Jam in campo comparuerat, jam locum sceleri idoneum quærebat : cum ecce hæc repente adest cogitatio : Cur ad Mariam te non confers ? hæret ad hoc nonnihil, & interno actus spiritu ad urbem redit, Con-

feffario rem exponit, B. Virginem implorat, à qua quem optabat progressum brevi obtinuit. *Ann. S. J.* Præles studiosæ juventutis, sedes sapientiæ est Maria: hanc in studiis invoca. Laborem orationi junge. Exaudiet te, nisi salus tua aliud postulet.

9. B. Aloysius in minimis etiam rebus se vincere laborabat. Hinc florem vel aliud odoriferum quid nunquam manu tenere notatus fuit. Cibos deliciores aut ne tetigit quidem, aut studiosè amariores reddebat: pharmaca tardè sorbillans sumebat, ut tantò diutius sua esset gustui molestia. *Ex Vita.* Sic sancti in omnem occasionem Deo placendi, suamque augendi gloriam intenti sunt. An similes tibi occasiones desunt? quid illa florum, illa odorum vanitas? An bolum unum alterumve magis arridentem gustui prohibere res dura nimium? Hodie vide, qua in re te vincas.

10. S. Petrus Damiani consideratà honorum, quos sibi parari viderat, vanitate sic secum: Quid ago? an ergo caducis his & perituris perpetuo inhæream? quin potius iis valedicens sola cœlestia sector? B. Stanislaus S. J. ideo mundum à se deserit, Religiosum verò statum eligi ajebat, quia solatio esset recordari in morte, quod desertis mundi gaudiis Deo fideliter servierit; cum simile nihil ab obsequiis mundo præstitis possit expectari. *Ex Vita.* Quousque vanitate mundanâ delectaberis?

beris? An non tempus est, ut ei valedicas, & divino te mancipis obsequio? Agnosceres hoc utinam & expenderes! quæso te, responde: Quale tibi erit solatium, si recorderis aliquando deliciarum, fortè etiam cum Dei offensa quæsitaram? Si cogites obsequia mundo & hominibus præstita, quale solatium? Timeo, ne cum illo Caroli V. famulo ingemiscas: O me infelicem! cur tot annos mortali Domino servivi! O utinam Deo meo servivissem fidelius! Studiose mi: Stanislaum imitare, ea jam age, quæ tibi in hora mortis possint esse solatio.

II. Divionensis quidam sodalis grave peccatum in Confessione diu tacuerat. Adeste ei in somnis visus est dæmon jamjam rapturus ad inferos: tum æstuarè miser & opem anxius circumspicere. Offert se illi B. Virgo, & periculo liberat, eâ tamen lege, ut peccatum quantumcunque confiteretur & ab eo deinceps abstineret. Sancta omnia promisit & fecit, totus jam factus ad nutus liberatricis suæ. *Lechn.* Tu ubi esses, Studiose mi, nisi Mariana clementia te servasset) Benedictæ cuidam Florentinæ dixit B. Virgo: Filia, multi sunt damnati, qui minus peccaverunt, ac tu; imò qui unicum tantum peccatum perpetrârunt. Et hodiè, ajebat, miles ob primum contra castitatem peccatum damnabitur: damnabitur & civis in filiorum correctione uegligens: damnabitur Parochus in suorum instructione piger: dux item ex scelerum sociabus hodiè a dæmone trucidabuntur.

buntur. Quin & Puer octo tantum annos natus hodie ob peccatum turpissimum submergetur, damnabitur. Sic B. Virgo locuta est. Expende hujus in te clementiam, & gratias age. Verum vult illa, ut peccato illo abstineas. Quid ages?

12. S. Tiburtius Martyr in Christianum hypocritam sic investus est: Hunc tu Christianum credis, qui caput ornat superbins; scapulis molliter gestit; qui fluxum gressum improbo risu distendit; qui fœminas intuetur curiosius? nunquam tales pestes Christus dignatus est habere servos suos: Christum imitari Christianum esse est. Ego imitabor, ut Christianus sim. Sic ille. Imitatus etiam fuit tum virâ sanctâ, tum morte generosè obitâ pro fide. *Spec. Juv.* An Christianus es, studiose mi? an Sodalis magnæ Virginis? Hodie quære conscientiam tuam. Vide qua in re Christum aut Virginem Matrem imiteris, aut imitari posthac velis.

In Aragonia Juvennis à vita impia abductus dominæ impiam à Confessario prohibitam accedere ausus est. Vix primo in limine pedem figere cœpit; quo nescio pacto tectum corruit, juvenem gravissimè lasis. In valle Armeni chorearum & lusuum perulantia per Missionarios fuerat coercita, & propè sudata. Juvennis nemo eam denuo sui similibus die quodam persuasit. Temeritatem secuta est eo adhuc à temore inimici manus illata. In Urbe Panamensi fuit, qui è via salutis, quam tenere cœperat, ad seclera re-
versus

versus, sapius a Confessario, ut caueret, monitus est. Interrogatus ab hoc semel, quo loco res ejus essent? respondit mendax: optimo. Necdum elapso deinde otiduo in ejus ipsius persona, quacum impiè vixerat, sine animam scelestam evomit Ann. S. J. Duo disce 1. Non vana semper sunt sacerdotum monita, non irrita mina. Contemptum vindicat Deus, cuius Vicar os agunt. Et audebis posthac repetere domum illam, illam occasionem à Confessario interdictam? audes consuetudini illi turpi inharere? Time! sudor ille Concionatorum, Confessariorum labor, Magistrorum cura vindictam clamabit contra te. Naque voces has contemnet Deus. 2. Abominatio est coram oculis Dei homo à vita sancta ad impiam reversus. Qui transgreditur à iustitia ad peccatum, ait Scriptura, Deus paravit eum ad romphaam, hoc est, ad vindictam, ad tartara. Habes cur timeas, si ex eorum numero es, qui factà vix Confessione ad ejurata modo peccata revertuntur. Pepercit tibi hactenus Deus, & tot pepercit vicibus: dedit veniam: forte, cum primis peccabis, in furore te puniet.

13. Dolanus quidam sodalis morbo per septimanam domi tenebatur. Aderat dies, quo Sodalitas consueta celebrabatur. Tum ille: Egone, ajebat, cæteris ad colendam Virginem confluentibus hic decumbam & otiabor iners; hæc dicens vires colligit, surgit, ad cætum Marianum abit, morbo omni liberatur. Sed, Parth. Placuit B. Virgini fervor in adeundo cætu Mariano; displiceat igitur necesse est tepiditas. Ne dubita, gressum omnem remuneratur Vir-

go. Ex dæmonis sensu loquitur, qui cœtibus Marianæ accessionem dissuadet. Lovanii certè, cum Sacerdos quidam dæmonem in obsessio adjuraret, eiq; Mariano nomine armatus liberè insultaret; sic ex obsessio dæmon loqui auditus est. Nimis tu quidem audax es: nimios tibi spiritus Domina tua (B. Virgo) facit, quod ei duodecim annos servieris. Scio tamen, quod anni septem sint, cum tu voluisti excedere Sodalitio: & utinam fecisses! Ecce quid optet, quid suadeat dæmon. Non suaderet, nisi sibi proficuum, homini noxium esse sciret.

14. 5. Gregorius Nazianzenus studiis vacans teste S. Basilio, duas tantum notas habuit vias, unam ad templum, ad scholam verò alteram. *Ex vita.* Aliæ utinam viæ tibi ignotæ essent; præcipuè illæ, quibus iter ad cauponas, ad domos suspectas, loca illicita, consortia mala; hoc est ad peccatum, ad perditionem, ad Tartara. Lata est hæc via: multi ambulant per eam, hinc multi pereunt. Tu fac declines à semita ejuscemodi, cujus novissima ducunt ad interitum.

15. S. Richardus postea Episcopus à vanis & ludicris spectaculis ad eò abhorruit, ut nullis sociorum precibus ad ea se deduci passus sit. Tanto autem ferebatur discendi desiderio, ut nullam ferme corporis curam haberet, cætera neglexisse omnia videretur. *Ex vita.* Duo habes, quæ imiteris: 1. Profana spectacula cave cedas. Rarò absque læsa conscientia reditur.

Experti luxerunt multi. Alipius, teste S. Augustino, spectaculo uno totus à se mutatus domum reversus est. 2. Studiis animum seridè applica. Exigit hoc vocatio tua : exigunt Parentum sumptus Time terribilem quam Deus exigit, rationem. Vindictam clamabit Superiorum labor, Parentum cura & sumptus, vindictam petent innumeri alii, qui hac occasione melius usi fuissent, si eis concessa à Deo extitisset.

16. Recineri sodalis ab inimico pessimè multatus, licet hortarentur alii, ut vindictam sumeret, id tamen constanter recusabat. Præfidi aiebat : fuit vehemens animus ulciscendi, sed una Dei Matris charitas me retinuit. Huic ego injuriam dono : exuo apud te ferrum in conciliatæ gratiæ signum, & contemptæ ultionis indicium. Alius Vallitoleti similem passus injuriam sic secum loquebatur : sceleribus meis graviora debentur ; interim hoc feram. Martialis saxum jam sustulerat, ut illatam injuriam ulcisceretur : cum hæc occurrit cogitatio : Christiani officium est accipere potius, quàm facere injuriam. Mox pedibus inimici advolvitur, eosque exoscularur. *Sed. Pareb.* Quæ tua est in rebus levissimis patientia ? non is certè es, cujus sceleribus graviora non debeantur. Patere ergo quæ occurrunt levia. Primum juvenem divinæ Matris charitas retinuit à vindicta. Retineat & te à peccato illo . . . à consuetudine illa & domo . . . si vehemens est tentatio,

tatio, B. Virgini hanc dona victoriam. Tertium Christiani officii memoria movit. Quid non efficeret in te cogitatio hæc : Officium Christiani. Studiosi, Sodalis aliud requirit : aliud exigit officium hominis, qui vel unius peccati gravis à se admissi meminit. Hæc cogita, dum tentaris ad otium ; ad consortia, ad peccatum.

17. B. Stanislaus & B. Aloysius Patrum suorum cæcitatem sæpe deplorabant : Ille quidem, quod Patrem haberet plus de propagatione stemmatis ac cœlo & salute, ut videbatur, sollicitum. Iste, quod peritura æternis anteponi, multum temporis ludendo perdi à Parente suo videret. Uterque varias in se mortificationes suscepit, ut Divinam averteret iram, & aliam à cœlo mentem obtineret. *Ex vita.* Deplora & tu non tam aliorum, quam tuam ipsius hac in re cæcitatem. Statue salutem tuam curare ferventius : de præteritis autem Contritionem frequenter elice.

18. S. Antonius postea Abbas audiens ex Evangelio illud Christi : si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & sequere me. Sibi hoc dictum putans abiit, & ad litteram Christi voluntatem implevit. *Spec. Jur.* Quod in Concione, in Evangelio, in monitionibus audies, tibi dictum puta : illud implere satage.

Thomas Cantipratanus refert fuisse adolescentes duos Studiosos, qui non modo correctiones Magistri detra-

detrectabant, sed & alios ad inobedientiam & con-
sueta alia vitia instigabant. Cum ecce tibi! congre-
gatis vice quadam omnibus in medio schola demon-
apparet; truciq; vultu in binos illos adolescentes
insurgens, virgâ, quam manu tenebat horrificam,
mortem eis intentans evanuit. Impii duo pavore in-
rabiem acti post dies pauculos obierunt, expertari
supplicium longè terribus, & quidem sempiternum,
Daurolt. Fidemne apud te invenit historia hac?
Audi, quid author hunc narrans subiungat: Ex his,
ait, Scholares nostri Divinum advertant iudicium,
Magistros suos discant subesse; discant correctionem
meritam non refugere; ne eis contingat sub virga
ferrea postea vapulare. Ita ille. Contemnis tu pro-
cul dubio insolentias tales aliâque in scholis perperam
feri solita; non contemnit Deus. Vindictam hic su-
met de injuriis Magistro illatis, de execrationibus,
quas in eum evomis, dum fortè necessariam corre-
ctionem adhibet; de insolentia aliisque similibus.
Desce jam correcticni humana te subicere, ne subicâ
cogaris Divina. Quam Magister adhibet correctio-
nem, amor salutis tua, non verò ut dicis, odium aut
aversatio extorquet. Erit dies, cum videbis, uter te
plus dilexerit, an Magister errores tuos clementi servi-
tâ corrigens; an parens tuus aut tua errores crudeli
clementiâ condemnans.

19. B. Stanislaus terrena omnia generosâ
 mente fastidians, solum fini ultimo obtinen-
 do intentus sæpe exclamabat: Non ad terrenâ,
 sed æterna natus sum: his vivam. Ex vita.
 Imitare: Animum tuum sæpe ad cœlum ele-

va : illuc labores tuos scholasticos dirige : illud spectet deliberatio tua.

20. Thomas Kempensis à teneris B. Virginem ut Matrem venerabatur indies. Paulò post fervor iste multum remittere cœpit & languere. Nocte quadam dormienti hæc offertur visio : Media in schola sibi cum cæteris versari videbatur. Delapsa cœlo Virgo sanctissima suavissimo vultu singulis arridens, tenerimè unum ex alio amplexabatur. Parem & sibi favorem pollicitus est Thomas, sed ad huac cum Virgo respiceret, severà hoc voce eum compellabat : Frustra meum tibi complexum spondes, qui consuetudinis pristinæ immemor nihil fervoris pristini retines. Quo abierunt preces illæ tuæ? ubi fervor? ubi pietas, quâ me ut Matrem colebas? dixit hæc, & averso atque indignante vultu discedens addidit : Abi, & tali te solatio indignum scito. Vidit hæc Thomas in somno, & ad se reversus teporem excussit, mundo valedixit, priore fervore B. Virginem coluit, vixit sanctè, sanctè mortuus. *H. x. vita.* Si B. Virginis favorem frustra expectat ille, qui tepidus solum in cultu ejus deprehenditur; quid ille speret, qui offendere etiam audet toties; toties membra in ejus honorem oblata quo nescio modo inquinare? Renova fervorem tuum : peccata fuge, ne morienti tibi dicat : Abi; auxilio meo indignus es.

21. B. Franciscus Regis contubernales suos
ad

ad frequentem libri spiritualis lectionem per-
 movit, etiam tempore prandii; ne sermonibus
 aliis locus esset. Berchmannus indies mediam
 horam dedit Lectioni sacræ; qui conversio-
 nem suam adscripsit lectioni vitæ B. Aloysii. *Ex
 vita.* O si tua à te hoc impetraret utilitas, ut
 diebus Festis saltem & Dominicis quadrantem
 unum rei adeo sacræ impenderes. Quantum
 quæso temporis datur legendis fortè iis, quæ
 nec utilitas approbat, nec castitas! tempus de-
 esse dices? Francisco non defuit: mille aliis
 non deest hodieum; quin nec tibi pro lusu,
 pro ambulationibus deest. Scilicet vacat tibi,
 ut Philosophus sis, non ut Christianus; ajebat
 S. Paulinus. Vacat tibi, ut ludas, ut otieris.
 garrias etiam impia; ut animam cures, non
 vacat. Sed quid ad hoc conscientia tua? A
 Francisco etiam discere cautus esse tempore pran-
 dii in loquelis.

22. S. Rembertus postea Archiepiscopus
 Bremensis pueriles omnes lusus devitabat, &
 mirâ modestiâ omnibus præluens eo legitur
 jam primis annis incubuisse, ut ad mortem san-
 ctam se disponeret. *Spec. Jur.* An præmatura
 hæc tibi cura videtur? Erras, Studiose mi: se-
 mel morimur: tota vita præparatio esse debe-
 ret ad negotium hoc momenti maximi. Vivis
 fortè, quam nescio longævam tibi ætatem pro-
 mittens, & præparationem pro felici morte in
 futuros annos differens; & quis novit, an non
 annus postremus tibi fluat? quam tibi mor-

respondes? Fuit juvenis, qui vanitati totus immerfus, dum die quodam vestes induit amicos visitaturus, repente apoplexiâ tactus expiravit hoc unum ejulans: Misella anima quô ibis? Quo ibit tua, si nulla adsit præparatio? Obsequere quæso: sollicitus esto pro hora mortis: sæpius jam elice actus, quos tunc optas elicere, ut iis assuescas. Agitur tota æternitas tua.

23. Mexicanus adolescens inter Sodales adlegi rogabat. Distulit diu Præses; demum ait: Non decere inter Sodales spectari cincinnatum (Vanitatem in cincinnis nutriverat adolescens) mox ille: si hoc unum obstat, facile, impedimentum tollam. Tum flectit genua cincinnos tantopere dilectos resecat. *Sod. Parth.* Hoc egit, ut totum se Virgini consecraret. Nihil superesse voluit, quod signum esse posset, se necdum perfectum esse B. Virginis famulum. Tu inter Sodales adlectus multa fortè habes & agis, quæ Sodalem dedecent. Reseca: ejice. Quid illud? fortè liber illicitus; cantilena, familiaritas cum altero nimia. B. Virginis sodalis non es, si hæc à te non projicis. Quid verò ad factum Maxicani sæculum nostrum? ridet, nunquid? risus aliorum & dicteria non sibi curanda censuit Sodalis & bene. Miser es & æternum eris, si ex aliorum dicteriis & dictaminibus vitam instituas. Contemne. B. Franciscus Regis, dum ludentibus aliis ad templum abibat, ut scrupulosè anxius ridebatur: Turbari

bari se non passus est. Quid Deus dicat & sentiat, vide; non quid mundus.

24. Anonymus quidam pertinacem adeo in scelere quodam consuetudinem contraxerat, ut monenti Patri spirituali diceret: Pater, si resecratos ante me inferos viderem, abstinere peccato hoc non possem; tantum me vis acerba trahit. Ubi verò Patris consilio obsecutus frequentius sacra Mysteria obire cœpit, & B. Virgini se indies commendare, tantum sceleris ejusdem horrorem in animo suo sensit, ut diceret: Pater, si apertam ante me stygem cernerem, & eam peccati hujus admissione declinare possem; in stygem insilire mallet, quàm horrendo adeò flagitio Deum denuò offendere.

Ann. S. 7. Ecce paravit Deus media, quibus peccati horrorem concipere possis & conservare; tuum est ea amplecti.

Evocabatur è Patribus nostris non nemo ad moribundum adolescentem; advolat confestim, sed jam funus exanime reperit. Ergò ad preces pro defuncto fundendas cum presentibus convertitur. Vix inceperant preces persolvere, mox verò in lecto cadaver, levare in altum caput, tragicâ & horribilâ profusa voce hac verba insonare: Heu quàm gravi errore deceptus sum! atque hoc alterâ, & tertiâ vice factum est; quo presentium horrore quis exprimat? Quid verò illud fuerit, in quo deceptus sit, certò sciri non potest. Existimat Author hac referens, deceptum esse adolescentem hunc in eo, quod medica & familiaria adolescentibus vitia contempserit ut leviss,

enim.

excinde ad graviora deductus perierit. Seelham.
 O ô si tantum unius hæ essent in inferno voces!
 Studiosorum plurimorum esse eas credo: utinam uti-
 nam non sine aliquando tua! hac si horâ moriendum
 esset, an non ingemisceres! heu quàm gravi errore de-
 ceptus sum! credidi levia esse qua admisi peccata;
 otium, segnitiam, iacturam temporis, &c. heu
 quàm gravi errore deceptus sum! credidi fore tem-
 pus quo Deo servirem sanctius, hinc hætenus aded
 fui inconstans: sed heu!

25 S. Emericus nullo se negotio impediri
 passus est, quin officium B. Virginis indices per-
 solveret. Huic ut similior fieret, Virginitatem
 ardentissimè coluit. Coactus inire nuptias, fi-
 nito nuptiali epulo ad templum se confert,
 consuetum B. Virginis Officium recitaturus.
 Ubi ad verba illa pervenit: Tota pulchra es
 amica mea: Videt præsentem miræ pulchritu-
 dinis Virginem duobus stipatam Angelis, quæ
 sic eum allocuta est: Si aded pulchram me fa-
 teris, cur alteri me postposuisti? cur amores
 divisisti? nunquid desiderii tuis sum dignior?
 Ad hæc Emericus: Fateor, ajebat, pulchrior es,
 erravi: pænam merui. Sed quid agam? Re-
 posuit Virgo: Si animus tibi non deest, amo-
 re mei nuntium illi, cum qua tibi res est, remit-
 te. Obedit Emericus, aulam & sponsam defe-
 xit, Italiam petit, vitam monasticam amplecti-
 tur. *Spec. Fruv.* An non idem tibi Virgo justius
 exprobet? cur me alteri postponis? cur amo-
 rem dividis? præ Maria placet tibi socordia, te-
 por,

por, amicitia prava. Quid ages? agnosce errorem: Deo & Mariæ famulare. Observa illud: Nuntium ei remitte, si animus tibi non deest. Nuntium remitte illi otio, illi consuetudini, illi . . . si animus Marianus non deest.

26. B. Aloysius accepto mortis nuntio lætus exclamabat: Te Deum laudamus! Imus lætantes! cupio dissolvi. *Ex vita.* Sic loquitur conscientia bona. Huic cœlum patet. Nemo, nisi tu tibi, cœlum claudere potest. Vive cum B. Aloysio, & ejus innocentiam imitare, si mori cum eo desideres. Bene enim dixit Berchmannus cuidam dicenti: Moriatur anima mea morte justorum. Vivat anima tua vita justorum, & morietur morte eorum. Mori cum Aloysio non poteris, si cum Epicureo vixeris.

27. Berchmannus acceperat Patronum menstruum cum sententia illa Christi: Videte, vigilate, orate, quia nescitis, quâ horâ Dominus vester venturus sit. Illic hoc sibi tanquam è cœlo dictum accepit, & sanctè ad mortem se paravit. *Ex vita.* Quas legis in scedula Patroni tui sententias. tibi ab Angelo tuo Tutelari dictas crede, & vitam illis congruam age. Non unum modò hac ratione monuit Deus.

28. S. Thomas Aquinas variè tentatus, ut propositum Religiosi statûs abjiceret, eò se induci nunquam est passus, licet vincula, famem, persecutiones diuturnas sustinere cogeretur. B. Stanislaus Patri carceres & vincula minanti,

nisi vocationem desereret, reposuit: Et vincula & mortem patiar potius, quam datam Deo fidem fallam. B. Aloysius inauditam prorsus adversus machinas quascunque constantiam in negotio vocationis ostendit. *Ex vit.* Agnovisti fortè vocationem tuam satis apertè; tuum est, nullis ab ea rationibus avelli: ne dicat tibi Deus: Vocavi, & renuisti? in interitu tuo ridebo. Constantiam etiam quotidie in eo exhibe, ne datam Deo fidem fallas. Fidem Deo dedisti, quoties in Confessione vel examine emendationem promisti, præcipuè circa fugam consortii illius vel domus. Ostende tandem, serium tibi fuisse, & constans esto.

29. S. Bernardinus Senensis die quovis Sabbathino in honorem B. Virginis jejunabat; neque ab hac consuetudine, quoad vixit, recessit. Mariam non alio, quam Amicæ nomine nuncupabat: illam sæpissimè invisebat in sacello; illius statuæ advolutus ferventissimè preces persolvebat. *Ex vita.* An etiam tua amica est beata Virgo? an ejus amicitiam quæris? quod ejus das indicium? ubi Orationes tuæ quotidiana? visitationes templorum? jejunia? vel maximè ubi peccatorum fuga? si hæc in te signa non notas, noli amicam vocare: si notas, esto constans.

30. Friburgensis Sodalis tentationes inhonestas victurus in crudisenticeti aciem abjectum corpus ad cruorem usque volutabat. Alius rigente hyeme in cumulum nivis se coniecit. Bruntrutanus Lurconem ad illicita tentantem

tantem inflicto etiam vulnere abegit; ortus vero exinde tentationes superaturus flumen frigidum ingreditur, collo tenus se aquis immergit; è quibus post duas horas aliorum manibus ereptus, domum semianimis relatus est. Oenipontanus impuram ardente titione abegit exemplo D. Thomæ: Monacensis vero a lapâ & fuste castigavit. Landishutanus periculum evasurus è fenestra alta in plateam desiliit. Moguntinus semetipsum vulnerando socios in fugam & horrorem conjecit. *Ann. S. 7* Quid aliud olim in Josepho, Bernardino, Benedicto, aliisque magni nominis Sanctis venerata est Ecclesia? Habet scilicet (Laudes immortali Deo) habet ætas nostra Josephos, habet Bernardos suos, habet invictos pro castitate athletas; quibus una castitas in amore & cura est; quam vel periculo & jacturâ vitæ tueri gloriosum judicant. Cur toties de hac materia? Cuperem tibi, Studiosè mi, Angelicæ virtutis amorem imprimere & singularem, & perpetuum. Scio: nulli virtuti æquè insidiatur dæmon, ac Castitati. Hanc si juveni eripuit, jam propè triumphum canit. Tu nullam majore studio conserva. Nullum mortificationis genus refuge. Castitas res est, cujus pretium terra ignorat. Hanc si servas, novum Angelis gratulabor socium: salvaberis.

31. Dilinganus quidam sanguine & virtute nobilis, lue lethali correptus, quâ potuit curâ ad luctam supremam se disposuit. Facta Confessione generali, totum se ad imploran-

dum B. Virginis patrocinium convertit, eam-
que, ut supremæ horæ Præses esse dignaretur,
rogavit. Adfuit hæc ei, noménque ejus &
aliorum quorundam sodalium libro vitæ au-
reis insertum characteribus exhibuit. Quo vi-
so aliisque non sine singulari animi exultantis
solatio narrato suavissimè expiravit. *Sod. Parth.*
O quàm felix foret mors nostra, si par nobis
polliceri possemus Mariæ patrocinium. Quid
agimus? accedamus cum fiducia ad thronum
gratiæ, ut misericordiam inveniamus in tem-
pore opportuno. Imploremus quotidie cle-
mentissimæ Dominæ opem pro hora mortis
nostræ.

*Adolescens genere nobilis, vitis, præsertim lasci-
viâ, familiari Juventutis malo; infamis, hoc ta-
men indies Deum rogabat, ut non nisi de morte præ-
monitus moreretur: Tunc enim ad mortem satis ut
se prepararet, tempus fore credidit. Vana non fuere
preces. Apparet Angelus oranti, promittit eum sine
moris nuntio non moriturum, animum tantum benè
adverteret. Sed miser cum securitate audaciam hau-
set, in omnia jam scelera præcepit, de certa futura
pœnitentia sibi blandiebatur. Contigit, ut non dis-
post dolor capus occuparet, inde febris corpus preme-
ret. Suadent amici Confessionem; quibus ille: In-
firmitas hac non est ad mortem; crescente morbo rur-
sus Confessionem ingerunt: ager non abnuere qui-
dem, sed differre tamen voluit, dum convalesceret.
Aucto gravissimè morbo monent denuò sed is vim do-
lorum causatus tempus magis commodam expectan-
dum esse asserit. Hæc agens, coram videt Tutelarem
suum*

*-sum; hic diem horamque mortis denuntiat; iam
 migrandum esse clamat; esse horam ut Tribunali
 Divino se sistat juvenis. Attonitus ad fulmen hoc
 Juvenis ejulare, vociferari, fidem sibi datam vio-
 latam esse conqueri. Angelus verò; morbus aiebat,
 mortis erat prænuntiis, nuntius erat & amicorum
 monitio. Nunc abeundum est, nihil tibi induciarum
 conceditur: vita finis est. Desit Angelus dicere, &
 Juvenis infelix vivere; aeternam inter inferos spem
 suam & presumptionem & procrastinationem de-
 vaturus. Pexenf. O spes vita longioris! ô mortis
 oblitio! pœnitentia dilatio quot adolescentum ruina
 exitistis! ducunt in bonis dies suorum futurorum oblitii,
 mortis immemores. & in puncto morte repentinâ ab-
 repta descendunt ad Tartara. Noli spe vita longioris
 peccare aut differre pœnitentiam: spes fallax est.
 Monitum Spiritus sancti est: Memento Creatoris
 tui in diebus juventutis tuae. Bene vixisse ab atate
 prima, moriens deflevit nemo. Jam bene vive; se-
 rum est tunc velle incipere, cum desinendum est. Ne
 dicas, ait Scriptura, miseratio Domini magna est,
 multitudinis peccatorum meorum miserebitur: Mi-
 sericordia enim & ira citò ab illo proximant, & in
 peccatores respicit ira illius. Dicis, quod Augustinus
 in persona juvenis: Homo juvenis sum: facio quod
 me delectat, & postea pœnitentiam ago. Sed audi
 eundem respondentem: Hoc est dicere: percutio me
 gladio crudeli, & postea ad Medicum vado; & ne-
 scit, quod in xnius hora puncto vulnus accipitur, &
 vix longo tempore ad sanitatem pristinam revocatur.
 Noli te & animam decipere. Mors incerta est; eam
 tu paratus expecta.*



Anni sancti Mensis sextus Junius.

1. **J**oannes Berchmannus totus in id incubuit, ut B. Aloysium imitaretur: hinc vitam ejusolvebat assidue, & minimas quasque virtutum actiones in se exprimere conabatur: adeo feliciter finem suum assecutus, ut non alio quam Aloysii nomine compellaretur. *Ex Vita.* Renova propositum imitandi sancta piorum Adolescentum & Sodalium exempla, precipue ea, quae ex B. Aloysii vita plura hoc mense proponentur.

2. Beatus Aloysius orationi mirum in modum deditus erat: hanc primo mane orditur: Hanc nocte, tempore etiam frigidissimo continuat, & licet animo deficeret, corpore obrigesceret, nunquam tamen consuetas preces omisit. Orantis vero mira erat modestia. Orationis tempus deliciae ejus unicae. Assueverat orationibus adeo ut in angulis saepe reperiatur, tantum angulis diceretur colloqui. *Ex Vita.* Multa habes, quae hic imiteris precipue haec: 1. Matutinas & Vespertinas preces nunquam negliges. 2. Nunquam tardii ullius vel modestiae metu omittes preces consuetas. 3. Modestiae sub precibus memento.

3. Miles Adolescens jurandi execrandique consuetudinem contraxerat : Monitus ut eam corrigeret, id sibi impossibile esse respondit. Ergo Sacerdos possibilitatem ostensurus ei ostendit nummum aureum, hunc ei promittit, si horâ unâ abstineret ab execratione. Et revera spe nummi hujus abstinuit, licet per castra sociorum militum ductus non unam habuisset execrandi occasionem : agnovit ipse dein nullam suam fore coram Deo excusationem, nisi se emendaret : emendavit. *Segneri.* Agnosce & tu, nihil tibi coram judice tuo, superesse excusationis. Assuevisti peccato alicui : contrariâ consuetudine bonâ corrige.

4. Neapolitanus quidam Sodalis injuriam fratris occisi neque privatim vindicare, neque publico judicio persequi voluit ; sed amore B. Virginis ita remisit, ut adlegi inter Sodales vellet illum, à quo offensus erat ; ne scilicet facile ad eò ad peccandum alliceretur. *Lehm.* Hoc iste egit amore B. Virginis, Potens hoc fuit remedium etiam durissimos peccatorum animos emolliendi. Poteritne & tuum emolliere ? quid ages amore B. Virginis ? an nimium peto, si peto ut amore hujus Patronæ tuæ condones levem fortè injuriam ? ut superiores molestiam aliquam in surgendo, orando, studendo occurrentem ? non amas sanè B. Virginem si hoc ei deneges.

5. Coloniae juvenis infano puellæ cujusdam Lutheranae in uxorem ducendæ desiderio tene-

batur. Hac cum nonnisi desertâ fide frui p
 set, pactum nefarium inire non horruit, fidem
 se deserturum promisit : Ad tantum scelus
 per minora deductus fuit. Ex quo enim lasci-
 vo amore ardere cœpit, devotione omni reli-
 ctâ, matutinas etiam & vespertinas preces ne-
 gligere, sacramenta rarius frequentare cœpit.
 Pacto illo nefario inito domum rediens in B.
 Virginis effigiem de muro pendulam oculos
 conjicit, & mirum dictu ! tristiozem solito
 advertit Virginis vultum, quin has percipit in
 animo voces : Ergone matrem tuam hucusque
 cultu præcipuo amatam desereres jam deinceps
 miser ? Pupugit miserum vox ita : Sed ade-
 rant, qui decretas urgerent nuptias. Bis statu-
 ta erat dies, quâ suam ad sponsam contenderet :
 bis disponente ita Deo aquis latè stagnantibus
 prohibitus fuit. Interea voces eadem à B.
 Virgine in animo repeti advertit ; quare ut
 hac se monitrice liberaret, imaginem cubiculo
 excludit. Sed nec sic exclusa indignissimè Dei
 Mater ab impio monendo terrendoque prohi-
 bita. Repetebat illa voces suas, remedium
 etiam addebat : Vade, confitere ! & expugna-
 vit denique obstinati animum, commovitque,
 ut peccata omnia expiaret, rescisso pacto nefar-
 io salutis rationem haberet majorem ; nun-
 quam sine lacrymis recordans matrem adeo
 clementem turpiter adeo à se despectam.
Ann. S. 7. Dubita, si potes, an Maria salu-
 tem juvenum querat : etiam contempta, etiam de-

deserta, man
 postulat. An
 tangit
 inq. n
 etiam ag
 pone, ill
 Demum
 Confite
 rare? cu
 B. Virgo
 am rema
 Hanc ru
 6: B.
 bra indies
 mece, q
 in hoc
 eat, qu
 spiritual
 Tot hor
 non tan
 Pidem
 piterat
 abductu
 genis lib
 consumit
 nes inter
 affirmat
 aliquid
 ism) scilic
 quam de
 à terribi

deserta, monet, urget, instat, emendationem postulat. An non eadem circa te & animam tuam egit! quas ei gratias referes? An & deinceps matrem tuam hanc desereres? illud etiam age, B. Virginis imaginem ob oculos pone, illam in dubiis consule, illi obtempera. Demum observa: à B. Virgine est vox: Confitere; à Dæmone est: Tarda, differ, morare? cui tu obsequeris? Exemplo alio docuit B. Virgo omnia non modo peccata, sed etiam tentationes & pericula aperire confessario. Hanc tu doctrinam animo tene.

6. B. Aloysius librum spirituales legebatur indies, statim imitatione laborans exprimere, quod legerat. *Ex Vita.* Imitare saltem in hoc: dies festus, dies dominicus nullus abeat, quo non quadrantem unum des lectioni spirituali. Idem age pridie S. Communionis. Tot horas rebus aliis inutilibus impendis, cur non tantillum animæ tuæ?

Ptolomæus adolescens divino actus spiritu eremitum petierat: exactus aliquot annis pravorum consiliorum abductus vitam sanctè ceptam deserit, indulget genio liberè, tempus omne convivio, lusibus, otio consumit, Monitiones aliorum contemnit, inspirationes internas, quas sensit crebras & vehementes, aspernatur. Tulit Deus impietatem per menses aliquot: inde protervior factus Ptolomæus in omne iam scelus præceptis ceptis rueret, nihil non audere; sed quam distulerat pœnam Deus, tandem inflixit valde terribilem: Dum scelus novum parat infelix,

adeſt carnifex ſtygius, miſerumque fruſtra cœlos in-
 ferosque execrantem profocatum rapit ad Tartara.
 Spec. Ex. Hunc ſortita ſinem eſt inconſtantia. O
 ſtudioſe, quem tua ſortietur! an non & tu cum
 Deo luſiſti abunde! An ſemper ludere te poſſe cre-
 diſ? Time, time. Differt non auferi poenam
 Deus.

7. B. Aloyſius ſingulari oculorum modeſtiâ
 enituit: per tres annos Imperatricem in dies
 inviſere coactus, nunquam tamen faciem ejus
 intuitus eſt. Demiſſos ſemper tenebat oculos,
 adedò ut quis oculorum ejus color eſſet, à do-
 meſticis etiam neſciretur: quod ipſum etiam
 de Berchmanno legitur. Ex vita. Oculorum
 cuſtodia caſtitaſis præſidium eſt, cave hoſ in
 aliorum, præcipuè fœminarum, vultu deſigas.
 Mors per fenetraſ has ſæpiſſimè intravit. Ten-
 tationeſ innumeraſ incautus unus oculorum
 jactus non raro excitavit.

8. Mexicanus Sodalis poſt diuturnaſ, quaſ à
 muliere paſſuſ fuit, tentationeſ, dulciaria quæ-
 daſ ab ea accipit muſcuſ loco. Admittit
 imprudens, eorum pulchritudine captuſ jam
 jam ori ad movere parat, cum ecce occurrit co-
 gitatio: diem Sabbathi eſſe, quo in honorem
 B. Virginis jejunare ſolebat. Vicit amor B.
 Virginis: dulciaria in diem alterum ſervanda
 viſtæ includit, die altero ea ſumpturuſ advertit
 veneno infecta, jam vitiata, hoc enim quæſie-
 rat mulier impudens, ut vitam extorqueret
 hac ratione ei, cui pudorem extorquere non

pöterat. *Sod. Parth.* Periret miser, nisi amore
 re B. Virginis gulam fränâsset. Vicit is se amo-
 re Virginis. An non & similes tibi sunt occa-
 siones, in quibus gulam mortificare possis? Je-
 junium enim suadere vix ausim, ut suscipias:
 quod tamen ab Aloysio, Stanislao, & omnibus
 fermè Mariæ clientibus susceptum scimus.

9. B. Aloysius ut agnitam vocationem tanto
 felicius öbtineret, duo hæc adhibuit remedia.
 1. Assiduam & quotidianam devotionem er-
 ga B. Virginem. 2. Mortificationes, in jejniis,
 flagellationibus etiam cruentis. His ille mediis
 Deum & Patrem in vota sua flexit. *Ex Vita.*
 Imitare. Non satis est agnoscere vocationem:
 implenda est. Ut impleas, recurre ad B. Vir-
 ginem, adhibe preces, mortificationes, &c.
 Cave, cave communem illum studiosorum er-
 rorem, quo decepti licere sibi credunt omnia
 antequam vocationem suam obtineant Reli-
 gionem intrando. Non unus hæc ratione
 periit.

10. Murciensis Sodalis acerrimè tentatus in
 castitate, ut cogitationibus se liberaret, in cam-
 pos exiit. Adest Dæmon personatus: causam
 inæroris quærit: quâ intellectâ ait, nullum se
 legisse medium præstantius, quam vitam sibi-
 met rapere; offert laqueum, ut tædiorum fi-
 nem faciat, hortatur. Adolescens: prius, ait,
 Confessarium oportet consulere: tum fremen-
 te Dæmon, minati varia, denique evanescere.
 Sodalis ad Confessarium abit, tentationes, &

rem omnem edocet, liberatur. *Sod. Parth.*
Tentationes si quas pateris sincerè aperi. Ti-
met Dæmon manifestari. Pereat pudor, salve-
tur anima.

11. Adolescens invitis parentibus ad Reli-
gionem abierat, revocatur à Patre, eo quod de-
licatè nutritus Religionis asperitatem ferre
non posset. Ille sapientissime reposuit: vel eam
ipsam ob causam Religionem intravi, quia deli-
catè nimium nutritus tormenta inferni ferre
non possum, quæ tamen subire cogar, si inter
tot sæculi pericula perstitero: hinc eligo ferre
leviora in religione, ne cogar graviora in orco.
Platus. Salubris cogitatio. Studiose mi; mor-
tificationes horres, quia delicatus es! Ah am-
plectere eas, ut evadas tormenta Tartari. De-
licatus si es, quomodo feres terribilia illa, &
nullo unquam sine concludenda?

12. Juvenis quidam de vitio aliquo supe-
rando desperabat. Errorem correcturus Deus
ostendit ei in somno gigantem immanem,
quem jubebatur ab Angelo aggredi, & vincere:
Cum verò juvenis terrore perculsus victoriam
sibi esse impossibilem diceret, respondit An-
gelus, invaderet generosè, se mox auxiliatrices
manus esse juncturum; quod & fecit: junctis
ergo viribus monstrum oppugnatum, victum
est, ut disceret juvenis, paratum semper esse
Dei auxilium, cui si cooperari homo vellet
consuetudinem omne facile posse extirpari:
Vit. P.P. Studiose mi, noli terri à scelerum

vel multitudine vel enormitate vel diuturnitate. Magno animo aggredere: Extirpabitur consuetudo. Non potes tu solus? at gratia Dei tecum potest: huic junge robur tuum, & laborem. In Deo meo transgrediar murum, ajebat David.

Tragicum orbi studioso exemplum factus est Ernestus Ephebus Herbiopolensis principis. Speculum innocentia ab initio erat; seductus à consanguinea detestanda didicit fecitque. Ipsi etiam Demoni demum se devovit, Magia & Veneficiis vacans. Accusatus & emendationis futura spe traditus Patribus Societatis, deiz & Franciscanus, spem singulorum fefellit, semper abjectus sacris lipjanis ad dilectas adeo artes magicas conversus. Accusatur denuò, fertur sententia, ferro addicitur, quod & infelix excepit, nullo prorsus doloris edito signo. Fusè lamentabilem eventum refert Pexenfelder. Usque eo deducine potest studiosus & quidem innocens ab initio? usque eò us nullà habità ratione temporalis aeternaque poena à peccato non desistat? ah heresce, & pietati tuae, si quam habes, non confute; unus socius pravus deturbare te potest in abyssum scelerum & tormentorum.

13. B. Aloysius etiam adhuc puer indies ad aram facienti sacerdote assistit, nec sine lacrymis, quas tanti consideratio mysterii expressit. Ex Vita. Imitare. Statos habe dies, quibus tale Deo Eucharistico obsequium exhibeas, sed reverentiâ eâ, quæ tantum decet mysterium.

14. Godefridus postea Bambergæ & Herbi-

poli Episcopus iustus à moderatore certam domum adire, in qua antea tentatam per improbos castitatem suam noverat, potius moriturum se affirmabat, quam locum illum repeteret; promptum se in ceteris omnibus fore, in hoc uno non posse. *Drexel.* Imitare constantiam in fugienda occasione peccandi; scis locum illum pietati, castitati inimicum; expertus es ibi tentationes; noli repetere, Amans periculum peribis in illo. Idem judica de socio, quem expertus es loquentem turpia, inhonesta suadentem, invitantem ad loca illicita. Aliud si agis, parum abes à lapsu, parum ab interitu.

15. S. Vitus adolecens à Patre ipso ad Christum deserendum tum promissis, tum minis invitatus. Ego ait, Dæmonibus non assentior; neque sculptilibus venerationem impendo; flocci facio regnum & divitias tuas. *Spec. Juv.* Vox immortalitate digna! tua sit eadem ad socios pravos, ad Dæmonem, aut si quis alius te à Christo, à pietate, à templo à studiis avocet. Nota etiam. S. Vitus ipsum adeo Patrem vocat dæmonem, quia ad peccatum invitando Dæmonis officium fecerat. Dæmon est & Dæmone deterior ille tibi adeo dilectus Sodalis, quocum otari, ludere, versari in cauponis, loqui inhonesta, peccare soles.

16. Juvenis peccator in campos exierat, confuetae suae vacaturus libidini: Occurrit ei in viâ Dæmon, cujus nescio speciem mentitus, & ad

genie-

generosè ita pergendum animavit. Paulo post & Christus Salvator ei videnda exhibuit, ostentiosisque sanctissimis vulneribus, ut à peccato abstineret, monuit; addens paratum jam esse dæmonem, qui collo infracto animam ad infernum raperet, si peccatum tale denuo perpetrare præsumeret. Motus Salvatoris bonitate impius, humi prostratus veniam rogat, vitam priorem deflet, cœnobium petit, constantius Deo serviturus: sæpissimè Dei in se clementiam laudans & extollens. *Spec.* Lauda & extolle & tu non minorem Dei in te clementiam: Quod necdum hæreas inter inferos, quod in peccato illo, in illa consuetudine mortuus non sis, Dei clementia est; non vult mortem tuam; habes, quod gratias agas in dies. An verò & agis? examina vitam tuam. Quid obsecro fecit Deus tuus, ut protervè eum ad eò offenderes! Clementia ejus ad vitam bonam non movet? justitiam time, monet interius in corde tuo clementia Dei, ut absistas à loco illo, caupona illa, consortio, peccato illo: pergere si audes; aderit justitia divina: hæc jam stygium paravit fortassè satellitem, qui te in scelere primo ob truncatum ad ignes perpetuos dejiciat. Time.

7. Apud urbem Tabaensem fratres duo pro fide torquebantur: primus dum alterum supplicio frangi videbat, & ad defectionem inclinare; sic eum allocutus est; Noli, noli frater hoc agere, non ita juravimus Christo: accusa-
bo

bo te, cum antethronum ejus terribilem venerimus, si deficias, & monitis meis non obsequaris. His vocibus animatus alter tormenta forti animo ad finem sustinuit. *Spec.* Imitare constantiam : iisdem ego te verbis compello : Noli, noli frater ita vivere, non ita promissisti Deo : te ego coram tribunali divino accusabo, si tot labores meos & monita nihil in te profecerint.

18. Sodales tres in campum se contulerant animos quo nescio modo recreaturi. Paululum temporis abierat, subito densari nubes aër obtenebrescere, mugire cœlum, frequentia inter alternos boatus fulmina discurrere ; resonare vox tragica ! Feri, feri ! cadit fulmen : eliso è sociis uno reliquos omnes metu consternat. Nova inde exaudiri murmura, resonare vox nova ; Feri ! feri ! cadit fulmen alterum examinat juvenem. Tertius similia sibi eventura ominans, erectis in cœlum oculis : voce supplici Virginem invocat, clamat : sub tuum præsidium, &c. Vix finierat, auditur tertia vox tragica : Feri ! feri ! Sed aliæ auditæ voces : Non possum quia ad Mariam confugit. Servatus igitur illæsus Matri Virgini totum se dedicavit, vitam cœpit sanctissimam. *Pexenf.* An minorem tibi causam esse credis vitam vivendi sanctiorem ! O quoties divina intonabat Nemesis : Feri ! feri ! jam parabatur fulmen impio tuo capiti : Mater gratiæ prohibuit. Age gratias, vitam, quam ei debes, totam ejus nutui consecra.

Ado-

Adi...
 poly...
 in...
 p...
 v...
 l...
 v...
 s...
 p...
 l...
 p...
 A...
 m...
 N...
 19.
 scelerib...
 tempto...
 Speciali...
 cuius fest...
 &c. Ec...
 quippe...
 horra...
 cept...
 sua invi...
 rum cu...
 mum...
 Patron...
 eorum...
 familia

Adolescens Anonymus animum ad ordinem religioſum adiecerat, ſed mundi Vanitate abſtractus, de die in diem ſanctiora conſilia diſtulit. Huic in ſomnis apparuerit Chriſtus Iudex, Sancti apoſtoli Petrus & Iacobus. Iudex voce hęc terribili auctus alloqui ſanctum Petrum: dele illum de libro Vita. Et deletus eſſet, niſi ſanctus Iacobus adoleſcentis patrocinium ſuſcipiens, ob cultum quo à iuvene honorabatur ſingularem, iratum iudicem & ſententia dimoviſſet. Vidit hac in ſomno iuuenis & inconstantiam deplorans conceptum vita ſanctæ proſitum implere feſtinavit. Spec. Exemp. Dele illum de libro vita. Vox tremenda! time hanc, ſi in propoſitis implendis tardus es & inconstans. Abominabile eſt in oculis Domini promittere & promiſſis non ſtare: proponere & fidem non ſervare. Ne in te terribilis adeo feratur ſententia, conſtans eſto.

19. Stephanus quidam ſtudioſus multos in ſcleribus annos vixerat Dei hominũque contemptor: id unum in eo pium remaſerat, quod ſpeciali affectu S. Magdalenam proſequeretur, cujus feſtum devotè colebat pridie jejunando, &c. Et hoc ſalutis occaſio ei fuit. Apparens quippè S. Magdalena ſerio ad expianda ſclera hortata eſt. Obſecutus Adoleſcens vitam deinceps ſanctam egit: moriens à S. hac Patrona ſua inviſi & confortari meritis. Spec. Sanctorum cultum cordi habe, ſed eum ſcito eſſe optimum, qui conjunctus eſt fugæ peccati. Amas Patronos tuos? eorum opem deſideras? amore eorum fuge hoc aut illud peccatum tibi magis familiare.

20. Josephus Spinellus Adolescens B. Aloysio devotissimus præter alia in honorem hujus, pridie festi B. Aloysii jejunare solebat. Præmium tulit amplissimum. Toto morborum examine obrutus linguæ, pedem, aliorumque usu destitutus ad B. Aloysium confugit. Hic sapius eidem apparuit, sanavit eum stupentibus omnibus. Notabile est, quod linguæ usum ei restituens dixerit: Josephhe, vult Deus ut honori suo tuam consecres linguam laudando eum & benedicendo; Cave ne illâ abutaris in ejus offensam. Quotidie renova propositum tendendi ad sanctitatem. Perijt etiam ut post S. Communionem mediam horam impenderet orationi. *Ex Actis.* Tantillum obsequium placuit B. Aloysio. Quid tu ages? gratissimum ages, si data ab eo documenta observes.

21. B. Aloysius raram ad eò castitatis gratiam consecutus fuit, ut ipse ejus conspectus in aliis tentationes contrarias extingueret. Hinc præcipuus castitatis Patronus, uti & deliberantium de statu vitæ agnitus est hætenus. Talem experti sunt plurimi uti in actis sanctorum videre est. Blandæ erant voces Patroni hujus, quibus allocutus est Wolfgangum ab Asch clamantem: O B. Aloysi! an nunc me deseret; voces inquam hæc: fili non deseram te; Neque deseruit, ipse factus spectabilis Dux in itinere dubio. *Ex Actis.* Invoca hodie beatum hunc fiducia, quâ par est à te coli Patronum studioforum. Commenda ei castitatem & vocationem tuam.

22. Her-

22. S. Hermenegildus hanc protulit digna immortalitate vocem : salutem meam rebus cæteris potiozem habeo, pro qua, si res feret, paratus sum sanguinem, vitamque profundere, Simile est quod B. Aloysius suis famulis valedicens dicebat : Statuo animam meam curare ; Vos similiter agite. *Ex vita.* Tu similiter agere senti, loquere. Negotium hoc tuum unicum & summum est : Salus tua, salus animæ tuæ quid spectant studia tua ? quid labor ? tua vitæ ratio, quam tenes, an ea est, quæ animæ curam indicet ? Si animam curas, cur non emendas ea ; quæ animæ nocent ? an non saltem hodie emendabis ?

23. Adolescens Italus nobilis in rixa grave vulnus acceperat. Plaga pecuniæ multum consumpsit, nec tamen obducta est. Ergo ad Mariam confugit Adolescens, vovet Lauretanum iter & emendationem, si convalesceret. Convaleuit, sed voti & emendationis inmemor vixit. Tacita ei vox allabitur. Lauretum vade ; Votum exsolve. Obedit ergo : Lauretum adit, offert munera, sed Confessionem horret, ne emendare se cogeretur. Ergò conscientiam stimulantem nunc templum, nunc tabellas votivas contemplari ; nunc Confessionale inspicere, nunc templo egredi, nunc ad illud redire. Triduo toto sic exacto, dum Missæ sacrificio interest, vocem rursus è cælo percipit, cunctationem increpantis ; Confessionem jubentis. Paruit tandem, confessus est, è luto fœdissimo emerit, pœnitentiam amplexus rigidissimam.

Tursel.

Tursel. Quàm sancta B. Virgini obtulisti desideria? quàm sancta promissa? ubi executio? ubi impletio? an non eadem vox tibi allabitur: Votum exsolve: Sta promissis: age pœnitentiam. Quousque ergo tardabis? Cur temetipsum angis? Excute moram, ad Deum convertere.

24. In Lusitania Adolefcens Ægidius & sanguine & scelere nobilis exitit. Ut sceleribus vacaret liberius, artem medicam discere statuit. Hinc Parisios abit. In via obvium habet dæmonem personatum, à quo ad antrum prope Toletum deductus edocetur, artes magicas ejuratis antè sacris omnibus. Exacto ibi Septennio toto Parisios abit, de scelere in scelus ruit. Objicitur ei aliquando Eques Cataphractus, vibratâ lancea formidabilis (Angelus erat à B. Virgine submissus) qui terribili cum hac voce affatur: Desine tandem hanc vitam morésque tuos. Redi ad mentem. Concussus paululum, sed mox ad flagitia redit. Redit eques, voces repetit, & tandem emollitus exclamat: Dedo me, faciam quidquid jusseris. Sic Saulus alter ad meliora compulsus vitam cœpit sanctam, utque constans esset, religionem adiit. Chartam, in qua perfidus dæmoni se obstrinxit, à dæmone recepit per B. Virginem *Hor. Mar.* Desine tandem hanc vitam morésque tuos, ô Studiose: Sic B. Virgo imperat: Desine, fac quod Maria, quod constantia jubet.

Brevs, sed tragicum est, quod narro. Adolefcens distractionibus, sermonibus impuris, & similibus lin-

qua vitiiis affuetus, dum ad extrema deductus est,
 & ut seriam ageret pœnitentiam, monitus, frustra-
 nea ista omnia esse clamabat. linguam manu desig-
 nans: ista, aiebat, lingua pessima me damnavit,
 quo dicto mortuus est impœnitens. Flor. Ex. *Ista
 lingua pessima me damnavit. Ah! Ah! si referari
 contingeret inferos, quot Studiosorum lamenta ead-
 dem audiremus? O lingua pessima! ô sermones im-
 puri! quot adolescentum ruina exitiistis? Tibi, tibi,
 ne ruina sint & exitii causa, attende. Ita rogo te per
 animam tuam, sciens & nimium sciens, quam com-
 munitis hac sit, quam pernitiiosa labes iuventutis stu-
 diosa. Time linguam tuam: Time: sermo unus
 surpis damnare te potest.*

25. B. Aloysius difficultatem in studiis sen-
 tiens illicò ad orationem convertitur; Concio-
 nem paraturus ad Venerabile confugit: hac il-
 le ratione præsentem in studiis opem expertus
 est. *Ex vita.* Experireris & tu, si eodem modo
 studia tua susciperes: quid prohibet, quin oc-
 currente aliqua in studiis difficultate ad oratio-
 nem, ad B. Virginem confugias, eam verbis il-
 lis inclames, quibus S. Ignatius solebat: Mon-
 stra te esse Matrem. Verè dixit Berchmannus:
*Obserua tu Deum, & Deus observabit te. In-
 voca Deum, opem Sanctorum, & tum laborem
 aggredere; felix erit.*

26. Anonymus Adolescens Ægyptius seriam
 & constantem acturus pœnitentiam, tumulo
 vivum se incluserat. Molestissimè id tulit dex-
 mon; ergo ad Patrias ædes revocare laborabat:
 fraudes varias, denique & vim, verbera, pla-
 gas

gas inferebat. Sed petit infracta juvenis mens. hoc unum reposuit : Malo mori, quam vobis obsequi. Vicit hâc ratione dæmones turmatim tentantes, qui non sinè fremitu in fugam agebantur ululantes. Vicisti nos? vicisti nos. *Spec. Ex.* Solam timet constantiam dæmon. Bona proposita, Confessiones non timet. Ad priora consortia, loca, occasiones conatur revocare, facilem sibi deinde promittens victoriam. Quid tu? Imitare: Sit hæc tua ad dæmones, ad consuetudines, ad socios vox: Malo mori, quàm peccatum hoc repetere, hoc violare propositum. Et præstat certè constantiz immori, quàm ab ea deflectendo vindicem Dei manum provocare. Statue.

27. Joannes Baptista innocentiam confervaturus, patriam deserit, cretamum petit, vino abstinet *Vita.* Ecce remedia servandæ castitatis & innocentiz. Imitare in hoc: Fuge socios suspectos: abstine deliciis: fræna gulam: fuge vinum immodicè sumtum: Hæc si agis, aderit Divina bonitas, castitatem proteger.

88. B. Aloysius licet ex natura ad iram & impatientiam pronissimus nunquam tamen vel asperiore verbulo allocutus est alterum, nunquam cum ullo notatus est contendere. *Vita.* An leve hoc tibi videtur insitam à natura passionem hac ratione compescere? Ergo tanto facilior erit imitatio. Vide hodie, quæ in te dominetur passio, quæ inclinatio? & in ejus extirpationem totus incumbe. Una passio indomita cœlum tibi occludere potest.

29. Wolfgangus ab Alsch speciali devotio-
 ne B. Aloysium persecutus plurima & rarissima
 ab eo accepit beneficia. Iter faciens à latroni-
 bus sex invaditur ; invocat B. Aloysium verbis
 supra relatis, & audit : Fili non deserere ? Ap-
 parer Aloysius, defendit contra latrones, & pau-
 cis verbis : an noverint Christianos se esse ; in
 fugam agit. Vitam totam cum Wolfgango
 peragit, instruit, oculorum sanitatem ; memo-
 riæ firmitatem admirabilem eidem elargitus est.
 Quod & aliis ferè innumeris fecit. Unum prævum
 socium sequenti ait : Cave ab homine isto, qui
 te ad interitum ducit, me venerare. *Vita.* Om-
 nia eo fine, studiose mi, ut speciali affectu San-
 ctum hunc sequaris ; præcipuè pete ab eo quod
 P. Corbinellus : Beate Aloysi ora pro me, ut be-
 ne moriar. Latrones te morientem circumda-
 bunt : Viam ignotam ingredi cogèris : roga
 B. Aloysium, ut tibi adsit, te defendat.

30. Bisuntinus sodalis quidam ad extrema
 deductus, multis, gravibusque à dæmone ten-
 tationibus agitatus, suum non peccandi propo-
 situm identidem renovabat ; inquit : Non
 te offendam Domine : non te offendam Do-
 mina. Dein ad B. Virginem conversus. Opi-
 tulare, ait, Domina ; opitulare ! & opitulata
 est sanè B. Virgo, tentationes discussit, cum
 consolata suavissimè ; adeò ut paulò post felix
 exclamaret : Victoria ! Victoria ! hanc scili-
 cet de styge retulit invictus pugil ope Virginis.
Man. Sod. Optas & tu similem moriens referre ?
 ad B. Virginem convertere ; hujus opem in-
 clama.

clama. Ut autem securè inclames, sit illud jam
 statum propositum: Non te offendam Domina;
 non offendam: Statue non offendere magnam
 hanc Dominam per peccata tua; & opere ipso
 exequere: Domina clementissima non decriit.

*Terribilem peccati unius malitiam propono. Et
 tremendam consuetudinis prava vim: Adolescens
 Roma turpi assuetus flagitio vixit, quod à sociorum
 uno didicerat. Sapè confessus, sapè relapsus. Vim sibi
 ad extirpandam consuetudinem inferre noluit.
 Adest vindex Deus, gravem corporis morbum im-
 mittit Juveni. Et profuit sanè: nam juvenis seriò
 jam detestari vitam prateritam coepit, sancta omnia
 proponere, confiteri dolore contrito peccata omnia.
 Munitus Sacramentis omnibus circa Vesperum, ma-
 ritur de nocte. Confessarius die altero Sacrum lectu-
 rus pro eo, vi occulta prohibetur, & tandem ab in-
 felici adolescentis animà monetur; cessaret orare;
 actum de se aeternum. Causa hac erat; Expiatà be-
 nè conscientia, occurrebat ei recordatio peccati à se
 toties admissi; & quà nescio voluptate ductus id
 denuo secum ipso perpetrat, perpetrans iusto Dei judi-
 cio maritur, damnatur. Pexen. Terribilis in iudicio
 Deus! ob peccatum unum hoc (cetera enim remissa
 erant) aeternum pati inter inferos! Ah Studiose ex-
 pergiscere, & statue nihil leve esse peccatum mortale,
 precipuè contra Castitatem; utinam, utinam non
 familiare pluribus! Time etiam consuetudinem, si
 eam non evellis maturè: poterit hac te etiam post
 Sacramenta omnia ritè suscepta deturbare ad Tar-
 tara.*

© The Tiffen Company, 2007

TIFFEN® Gray Scale

A	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19

R **G** **B** **W** **K** **G** **Y** **C** **M** **B**

Centimetres

TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black

Inches

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19